

B

V

W



1. Γενυσις Ναισαυρις τῶν ἑσολῶν κατὰ ευνομία των προδικαρίων.
2. Gregorij Nyssemi ad Eustathiam et Ambrosiam, et Basiliscam, Epistola.
3. Πλατωνος Νόμων Πεσοίμων.
4. Λαυραῖος Νεφί τῶν πατρῶν πιστοσύνη διαβολῶν. cum epist. Casel. ad Ernestum ab
5. Caselij Epitaphios Joann. Borcholdo perscriptus.
6. — — — — — Pinloke, sive Magister dicendi.
7. Θεμισθίος περὶ φιλίας λόγος.
8. Caselij Νέος καὶ προδικαρίων.
9. — — — — — De Nobilitate libellus.
10. — — — — — Παράδοξα duo in Educatione principum.
11. — — — — — Epistola de obitu Magni Zanosij, ad Thomam Zanosij filium.
12. Alberti Clamij Mithis Arcadius, et pauca alia poemata.
13. Laurent. Rhodomani Epith. Manibus Magni Zanosij, cum Epistolis aliquot Casel.
14. Theodori Adami Panegyricus solenni introducta Acad. Julia die habitus.
15. Barthelomaej Coppen Oratio funebris, de obitu princip. Frid. IV. Comit. Palatin.
16. Rudolphi Diepholdi Nonae April. in Natal. 21 princip. Frid. Vlder. Duc. Brun.
17. Christophorij Heidmanni Oratio de Verbo ac primo hominis bono.
18. Reditus in patriam ex peregrinatione aliquot annorum, Frid. Vlder. Duc. Brun.
19. Adami Luchtenij oratio in resignatione Magistratus scholast. ubi et de Calabria.
20. — — — — — Programma de obitu Ioan. Carol. Caselij.
21. — — — — — programma de obitu Henrici Julij a Lippe.
22. — — — — — programma de obitu Friderici Parerij.
23. Tobia Paternestrey epistola respons. ad litteras Ioan. Marselij.
24. Caselij epistola ad nuptias Henrici Julij Wittershaejm.
25. Conradi Horneij Epith. memoria Polycarpi Lysen consecrat.
26. — — — — — Carmen ad nuptias Henningi von der Dörfelburg.
27. — — — — — Gratulatio Adamo Luchtenio de Restorata scripta.
28. — — — — — Carmen ad Simonem Struvium, in Ulmic. disput.
29. Quorundam doctorum virorum, carmina Cornelio Martini scripta.
30. Conradi Rittershusii epistola ad Andream Paull. patricium Brunsvic. cas.
31. Caselij epistola ad Senatū, Göttingesem.

Sequuntur et pauca alia materia, quare titulos et auctores
huc adscribi charta angustia non passura erat.



IOANNIS CASELII

ΝΕΟΣ ΚΑΙ ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ,

ILLE AD TIrones ACADEMI-
cos, hic ad eos, qui in academijs pri-
uatas scholas habent.



HELMAESTADII

Excudebat Iacobus Lucius, Anno

M. D. IIIC.




S I brevis & facilis soppies ad culmina ducit
Semita: dic humili cur omnia priscus in Aspera
Vates longa refert: cur aspera, & ardua pri-
mum?
Dic cur Maonides multa & radice profunda
Moly canit? dic quid sibi vult benè nota querella
Vita brevis, Coe quasi saecula disciplinae?
Quid tria septa Cebes tabula describit & arcem,
Difficili adscensu, prærupti in vertice montis?
Quidue annos Samius quinos indicit alumnis?
Quidue aliorum operas celeres dum spectat Apelles,
Ad mediocre opus, inquit, opus mihi tempore longo est?

Ioan. Caselius,

R. mo



R.^{mo} & ill.^{mo} principi,
DN. HENRICO IVLIO,
EPISCOPO HALBERSTADIENSI,
DVCI BRVNSVIG. ET LVNAEBVRG.
DOMINO CLEMENTISSIMO.
S.



Liud litterarium munus fero, mole
paruum, bonitate mediocre, neq;
fortè nullius pretij. Nisi enim ita de
hoc opusculo sentirem, nec id-
ipsum ad sapientissimum principem
mitterem, nec oculis omnium spectandum pro-
ponerem. Iudicia quidem populi & arrogantium
nihil ducere, & possumus & debemus: sed
impudentiæ extremæ sit, limatissimorum inge-
niorum censuras non reuereri. Equidem mea &
hæc & alia ad lapidem Lydium rationis explora-
ri, facile concedo, vtramq; ob causam. Etenim
à me edita, si vera non sint, nec veritati consen-
tanea, & neq; priuatim neq; publicè utilia; iure
ab omnibus condemnentur, & me quoq; suffra-

gante pereant. Etenim bonum virum, ita sui a-
mantem, & ita sui honoris studiosum esse decet,
vt & honorem & seipsum, præ veritate, & publi-
co bono, contemnat. Dedi autem semper ope-
ram, & in id incumbo hodiè, ne somnia quædam
mea vulgo venditem, sed quæ à priscis sapienti-
bus & nostræ ætatis viris doctissimis acceperim,
& in ipso vitæ vsu semper recta esse deprehende-
rim; ea demum nec obscuro, nec sordido ora-
tionis genere exposita, depromam in vsus pub-
licos. Sic enim & ipse sentio, quòd quicunq; ho-
mo natus, postquam seipsum ad virtutem con-
formavit (hoc enim & primum omnium, nec a-
liud est esse hominem) ad societatis humanæ v-
sus necessarios, & decus, pro conditione sua ni-
hil confert, is aut non didicit, aut non meminit,
quam obrem huius lucis vsura & tot tantisque in
vita bonis fruatur. Et enim se iubet pater omni-
um sanète coli, & nos nobis inter nos omnibus
officijs esse deuinctos. Hac in re qui suis & non-
nullis alijs benè facit, veram ille virtutem exer-
cet, & laudem meretur singularem: sed illam
& exercet omnem, & hanc adipiscitur maxi-
mam, qui etiam commodum patriæ, vel quàm
latissi-

latissimè potest, salutem generis mortalium procurat. In hoc genere primi estis, vos heroes, & vobiscum vnà, quos ipsi ad clauum reip. collocatis: secundi, opinor, sumus, longo fortassis intervallo, qui educationem iuuentutis omnium ordinum opera & consilio, vestra item non solum auctoritate, sed & cura & beneficio, promouemus. In omni autem *παιδεία* cum primum locum teneat litteraria, se pleriq; omnia putant intelligere, & imperitissimi quiq; se tenere eximia ad eam rem & recondita gloriantur, insigni profecto siue animi confidentia siue stultitia. Neq; vero hodie rarum, neq; nouum est, vt super re difficilima opiniones friuolas monumentis quoq; litterarum consignent, & ad plebem pro oraculis prodant. Mirificè autem imperitos deliniunt, dum pueris omnis sapientiæ & eloquentiæ, facili via, breui tempore, spem non dubiam faciunt, ipsi in loquacitate infantes, & ab omni bono cōsilio vacui. Ego, quod sæpè antè feci, nunc quoque quosdam errores detego, & tum discipulis, tum primis illis magistris, quid tutò, & certa cum spe probæ solidæq; eruditionis sequantur, fideliter ostendo. Recta enim ad virtutis doctrinæq;

metam via, aut hæc est, aut huic ita vicina, vt rectè ingredi hoc spatium discentes docentesq; , ni fallor, possint. Si quis aut hæc ipsa luculentius scribat, aut ijs meliora proferat (nec enim ab his multum discrepabunt, quæ, vt dixi, à sapientibus sumpta, nec hodiè excogitata, sed tantum certo ordine, vt res hoc tempore postulare videbatur, à me perscripta sunt) & ipse de iuuentute benè merebitur, & inibit à nobis magnam gratiam. Nec fortè abs re erit, vt plures in re prima & summo perè necessaria operam suam probent, & præstent reipublicæ. Cæterum quod horum cunq; ad amissim non perscripserim, id mihi imputari non ægrè feram, & eo nomine indici gratias agam. Quicquid autem hic erit, & hinc emanabit boni, id, princeps HENRICE IVLI, acceptum rectè feretur bonitati tuæ, academiæ IULIÆ conditoris & conseruatoris, nostrumque omnium EREFFETOR benignissimi. Helinæstadij in acad. Iulia Kal. Ian. clō lō III C.

LECTO.

LECTORI

S. D.

IOANNES CASELIVS.

Arduum negotium molitur, & cum suo periculo, qui aliis consilium dat in re ardua, praesertim si id ultrò faciat. Eam enim promptitudinem animi, vel curiositatem, vel vanitatem, vel ambitionem facile quis interpretetur. Ambitiosi enim ad se omnia referunt, nec cuiusquam nisi suae industriae deberi imperium in omnes & in omnia sibi persuadent: in quibus magnitudo animi laudem meretur, conatus viribus impar iustam reprehensionem. Vanii sunt alij, & inanes spiritus gerunt, quos Graeci ἀλαζονας vocant: ij tūm omnibus singularia de sua sapientia pollicentur, tūm gloriose iactant, quae nec gesserint, nec gerere potuerint: sed propter inanitatem statim amittunt dignitatem suam apud populum, & nemini non sunt deridiculo. Primi sunt leuissimi, qui se omnibus negotiis ingerunt: fluctitant, nec quidquam efficiunt: de rebus disputant, vt consulere in medium videantur, nihil determinant, quo niti possimus. Haec qui apud se consideret, rogatus etiam cunctetur, & interdum petenti consilium neget. Quin ita recte sibi quilibet cauere posse videatur, nisi amicum & officium deserat.

Hoc

Hoc enim minimè committendum est. Sed illi, quos dixi, magno numero quotidie prodeunt, homines plebeij ingenij, vix tincti litteris, nullo usu rerum, & de gerendo bello, de administranda repub., de educatione iuventutis, de omnibus disciplinis, sua belli ducibus, principibus ciuitatis, eximia doctrina præditis, consilia exponunt, ipsi ab omni consilio inopes. Minus peccarent, si sapientum monumenta cognoscerent, & de eorum auctoritate aliquid depromerent: quod tamen qui sine iudicio facit, nec rempub. nec iuventutem multum iuuet. Quales denique ipsi sint, satis ostendunt, quando de alijs quoque censuram agunt, superbeque eos præ se contemnunt, quòd puerilia illa & plebeia, quæ ipsi in pretio habent, improbent. Nec vero hi, nec alij, quorum nec eruditum, nec sincerum est iudicium, ab instituto nos deterrere debent, quo, si quid in rem rectè consulere posse videamur, id minus faciamus. Grauius enim errat, **QUI INVIDIAM PLACARE PARAT VIRTUTE RELICTA:** quarum virtutum regina quedam est beneficentia: hoc est, de multis benè mereri. Quod cum alijs multis modis fit, tum bono consilio, de primis rebus, quas intelligas, didiceris, exercueris: in quibus haud postremum locum tenet educatio iuventutis ad virtutem & litteras.

Cum

Cum multos igitur aberrare in re ferè omnium maxi-
ma, certè maximè necessaria, viderem, vel quòd pauci
viam alijs monstrarent, vel quod alij adolescentulos
partim imperitia, partim malitia à virtute & doctri-
na ad utriusq; leuissimam opinionem, in errorem ab-
ducerent; semper monui familiares meos, tum coràm,
tum scripto, de quibus monendos quandoq; necessarium
esse mihi videretur. Superiori tempore causa multum
fuit, ut diligentius de pluribus cogitarem, & hoc opu-
sculum iuventuti conderem. Dedi operam, ut vera &
recta scriberem, quæ priuatis decori & emolumento,
reip. & imperio salutaria essent: in quibus, aut nihil,
aut si quid, non nisi leuiter aberratum puto. Namq;
& scopum proposui, & quemadmodum ad eum colline-
andum sit, doceo: quæ secutus, si non ipse intimum pun-
ctum tanget, à scopo certè non aberrabit, aut non adeò,
ut non plus laudis, quàm reprehensionis reportet. Ex
ijs igitur, si qui alijs fructus aliquid capere poterunt, &
volent, nemini inuidebo: sed alumnos academiarum
Rostochianæ & Iuliæ, cum primis rogo, ut hac nostra
diligenter legant, & nostro consilio sine dubitatione
vtantur, nouis vanarum pollicitationum follibus ru-
ptis, hoc est, spretis consilijs nouatorum, qui breuem &
facilem viam ad inscitiam, qua ipsi ingressi fuère, &

B

ma-

magno conatu nugacissimas nugas adolescentia obru-
dunt, ut ipsorum auctoritas sacrosancta sit, de vobis
deque repub. & de veritate denique, quid fiat, parum sol-
liciti. Quidcausa mihi sit vestri compellendi, plerique
scitis: docui annum *XXVII.* in academia Rosto-
chiana, & feci omnia, quae ad extirpandam barbariem
ex oratione, animis, & moribus, & ad propagationem
virtutis, & humanitatis, ac doctrinae verae & elegan-
tis, facere intelligerem: eodem hic officio annum octa-
uum fungor, ut nemo mirari debeat, cur vobis ex animo
velim, quibus me multis modis deinctum esse, & ego
fateor, & ipsimet intelligitis. Non improbare hoc
meum erga vos studium, nec veteres illi collega, nec hi
novi, poterunt, nec volent: immo in hac sententia à me
ostensa, vos confirmabunt, siue potius eandem & ipsi
vobis, quae par est cura, explicant, ut à me non tam do-
ceri, quàm confirmari videamini. Lectorem etiam
quemcunque sibi persuadere velim, me nec ambitione,
nec contentionis studio, nec ullam aliam ob causam,
quàm iuventutis & publici commodi gratia, hac à me
diligenter conscripta edidisse. Video enim, quanta ca-
lamitas immineat rei litterariae, quam propulsare, no-
strarum praecipue est partium. Quare & alios doctos
viros, & cum primis utriusque academiae professores
ma-

magnoperè rogatos volo, ut me in hoc instituto fideliter
adiuent, & nouatorum sophisticen, quæ magna confi-
dentiâ passim incepit irrepere, grassatura omnino, nisi
prospexerimus maturè, & qua par est, seueritate re-
primant. Connuere enim ad ingruentem barbariem
non debemus, nedum patrocinari audaculorum impro-
bis conatibus: si modo iuuentutis educatio, si academia-
rum dignitas, si nostra existimatio cordi curæq; nobis
est. Quid enim de me, quid de unoquoq; vestrum exi-
stimabunt, quotquot est hominum doctorum, & non
iam vicina, sed & extra Germaniam omnes omnium
Christiani orbis academia, si triobolarem quandam sa-
pientiam & anilem loquacitatem pro sincera philoso-
phia & sapiente eloquentia intrmitteremus in acade-
mias, & quasi serpentes in gremio alemus? Quod si
qui hæc non satis intelligunt, aut per occupationes di-
uersaq; studia considerare nequeunt; sinant iudicare
eos, qui intelligunt, nec auctoritate sua inscitiam ful-
ciant.

B 2

IOAN-



IOANNIS CASELII

ΝΕΟΣ ΚΑΙ ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

*ILLE AD TIrones ACADEMI-
cos, hic ad eos, qui in academijs priuatas
scholas habent.*



N omnibus tum consilijs, tum actio-
nibus vnumquemq; nostrum spectare oportet, & dignitatem hominis, & communis hominum societatis salutem. Etenim & sapientissimi id nobis præceperunt, & ita cunctis exemplo suo præiuerunt, de euentu securi, quem & bona cum spe expectarent secundum, & vel aduersum cum animi tranquillitate honestū tolerarent. Consistit autem in veritate & virtute illa dignitas: à quibus qui minimum deflexerit, idem quoq; genus nostrum, siue patriam, cui primas officij partes debemus, proximè iuuerit. Qui vero vel ad libidinem, vel ad utilitatem suam, vel ad honorem & potentiam omnia retulerit, quod plæriq; in vulgus rectum iudicant, & omni studio animiq; contentione agunt; is in cœtus humanos, certè in multos mortalium iniurius est, & à dignitate hominis longissimè recedit. Nec verò idem animi tranquillitatem adipisci, nec rebus suis benè sperare potest: quin si omnia ex sententia gesserit, tamen eius res secundas metus siue animus anxius semper contaminat, neque rarò funditus euertit.

Quod

Quod si igitur vnusquisq; se ita, vt initio dixi, comparare debet; quanto magis, & qui cum præsent alijs, se de repub. benè mereri profitentur, & qui hæc studia litterarum, quæ sunt eadem sapientiæ, colimus? Arduum autem est vtrumque, & paucis curæ: sed quibus curæ sit, non consequantur tamen, quod velint, & in se multa quotidie ipsi desiderant. Neq; tamen non conatus ille in laude ponitur, quo item non profecto nihil & priuatim proficitur & publicè. Quod ad me attinet, vt primum hoc verum rectumque esse, & cætera falsa omnia, intellexi, relictis alijs feci, quod in me fuit: quod vt minimum fuerit, aliquid tamen ad vitam publicè contulerit. Quamuis enim educationis curam non esse dignitate supremam, facile concesserim: tamen utilitate primam, atq; ita necessariam, vt ea aut neglecta, aut deprauata, boni deinceps nihil sperandum videatur, intelligentium nemo infitiabitur. Quare etsi primi honores nobis eo nomine non tribuuntur, nec fortasse debentur: tamen in hoc ipso munere, si fideliter præclareq; geratur, causæ pares honorum insunt, & quo contenti esse possumus & debemus, ipsum decus. Cum autem educatio iuuentutis ad virtutem sit multiplex, ea mihi cordi curæq; fuit, quæ est in litteris: nec vlllo loco virtutis doctrinæque cultoribus defui: & maneo in sententia. Quin si segnius id agerem, in quo me rectè & cum laude versatum multi iudicant, non minus peccarem, quàm qui, dum aduersæ acies confligunt, turpiter stationem deserunt. Est autem & hæc quasi quædam litteraria militia, quam pro salute singulorum ciuium, & patriæ, si non cum tanto periculo, certè non minore & cura & bono publico suscipimus. Sæpè verò alias de alijs atq; alijs partibus educationis litterariæ egi: nunc vno libello plures comprehendere constitui. Cum enim viderem, & adolescentes, qui se primum

in academias conferunt, & extraordinarios magistros, illos in discendo sæpè, hos interdum in docendo aberrare; utrosq; de rebus quibusdam necessarijs, siue docere siue monere mihi visum fuit: nec dubito, gratiam mihi pro beneuolentia & fide habituros, qui meo consilio utentur. Inscriptionem opusculi Græcam feci, exemplo non nouo: neq; id falsum sit, præsertim si Latinum nomen non inuenias, quod Græco respondeat. Quin duas diuersas feci, quòd vna non satis mihi indicaturus videbar, quò spectarem. Duos enim mihi fines proposui. Nec malui tamen duos libellos conficere, quàm duas partes vnus constituisse: quarum præsertim vna declararet alteram: vnaq; adeo absq; altera non satis intelligeretur: nec ad explicandum suscipi posse videretur, vt in omnibus sit, quæ mutuum respectum habent. Sed ad rem venio. Est mihi propositum, vt bonarum artium magistros, non hos, qui publicum munus gerunt in academia, quos nihil imparatos in se suscepisse, credibile est, sed eos, qui priuatas scholas habent, doceam siue moneam de officio suo. Visum igitur mihi fuit primum ad eorum auditores respicere. Nouitij autem illi sunt, & sacris Musarum primùm initiati, siue in hac erudita militia tirones. Nam de puerili educatione hic non agam, quæ ad ludos litterarios pertinet, & ad paedagogos. Alijs enim aliud videtur rectius: sunt, qui filios in cœtu puerorum educari volunt: alij vel cum vno alteroq; æqualium ab homine exploratæ fidei suorum animos moresq; informari & litteris erudiri malunt. Nec vero est huius loci definire, vtrum fiat rectius: alios ego hanc, alios alteram rationem sequi iubeam, prout ipsis aut necessarium esse aut expedire animaduertam. Nomino autem modò re ipsa initiatos, nec tantum ritibus quibusdam de consuetudine, non dico quàm eleganti: qualem fuisse quon-

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

quondam Athenis quoq; accepimus. Etenim qui primum nomina musis dabat adolescens, eum habebant cæteri ludibrio, & fricabant sale multo: quod ipsis erat ἐρεχθελάν, vt Gregorius nobilis ille theologus memoriæ prodidit. Initiatos igitur siue tirones nomino, qui plus quàm puerilia litterarum elementa didicerint: non solum adolescentulos, sed quaqua ipsi ætate sint: atq; ita licere & mihi loqui puto. Namq; & nouitios appellabat Aristoteles, nec idoneos propriosq; ciuilium doctrinarum auditores iudicabat, quotquot non tam annis, quàm moribus notitiæque vitæ humanæ essent nouitij. Neque verò non antè eum Plato virum grauem, neq; tamen animo satis informatum Dionem, natum iam annos quadraginta, ea de causa iuuenem nominat. Et Petrus Victorius aliquando in rusticatione canum iam aucupem, cum captans per accipitrem imbelles auiculas, missis rebus, animum totos dies autumnò oblectaret, Etrusco sermone adolescentem nominabat. Primum igitur, tirones sibi liberius viuendi potestatem iam esse factam, tantum non suo arbitratu, quoad per leges, & ipsam honestatem, & litteratæ vitæ institutum licet, sanè existiment: nec sibi plus licentiæ sumant. Nec enim putandum, licentiæ fana esse academias, aut stabula inertiae atq; inscitiae: id quod à nobis, nec sine causa, sæpius decantatur. Pudorem vero omni ætate dignum, & modestiam retinere oportet nouitios, & his adminiculis siue hac femita ad virtutem progredi: existimantes seruile quiddam esse & barbarum, & brutum deniq; petulantiam. Petulantiam enim non bouum solum progenies, sed & abortu vix firmis pedibus pecudes, atq; etiam pulli asinini affectant. Verum eos in rationis expertibus ludos dixerimus: quæ in homine iniuriæ, aut earum quædam rudimenta sunt. Secundum est, siue primum omnium, vt scia-

tis

tis neq; vllō vnquam tempore obliuiscamini, quod pau-
 cissimi huc secum adferunt: siue quòd de eo moniti à ne-
 mine fuerint, siue quod tantam rem ætate puerili & affe-
 ctibus potissimum obnoxia, non satis considerant, quam-
 obrem litteras colere præ omnib⁹, & ad academias venire,
 & ibidem satis diu morari oporteat. Non id dico: quod
 quidam statim apud se ipsi statuunt, aut ab ijs, in quorum
 adhuc potestate sunt, negligere non sinuntur, vt vel semper
 sint in litteris, quod est philologiæ, vel studia sapientiæ
 colant, quod philosophiæ, vel se in dicendo exercent,
 quod illius artis, vel ad forum se parent, quod iurispruden-
 tiæ, vel vt saluari illi & perdifficili arti, hominumq; cor-
 poribus necessariæ, quod medicinæ, vel disciplinæ, quæ sa-
 luti animarum consulit, incumbant, quod theologiæ, vel
 ita in bonis litteris, &, quibus videatur, liberalium artium
 partibus versentur, vt aliquo colore doctrinæ tincti se de-
 inceps, vel ad negotiandum, vel ad rem familiarem con-
 uertant, vel ad militiam. Nullum enim honestum vitæ ge-
 nus est, cui aliquis litterarum gustus non fuerit admini-
 culo: singulari illis, qui diutius & diligentius & rectius in
 61 ipsis versati fuerint. Itaq; neminem audimus, quem eas co-
 luisset poenituerit: plures, qui quotidie querantur, quod
 neglexerint: atq; hi æquales suos, qui in ijs perseueras-
 sent, beatos prædicant: neq; non ex fortunatis, nec ijdem
 tamen rerum suarum prodigi, iacturam fortunarum facere
 optent, si sic redimere aliquid doctrinæ nequiter negle-
 ctæ, valeant. Ipsum Latinè fari, in quo tamen per se pa-
 rum, interdum etiam nihil est, auro contra carum habent.
 Ne vero quis suspicetur, me iubere, vt quis nullo tali pro-
 posito sine in litteris vagetur, aut negare, de illorum ali-
 quo maturè constituendum esse: quin omnino de ea re
 consilium capiendum & constituendum esse censeo, vel in
 ipso

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

ipso tirocinio, vel non ita multò post. Oportet enim hic avarum esse temporis: quando ex omnibus momentis recuperari nullum potest, nec hora ad animi opes comparandas melior & aptior exspectari. Quid igitur hac tam longa & sollicita oratione volo? Hoc videlicet, quo omnes homines dirigere omnes animi conatus oportebat: quod plerique tamen extremè negligunt, vel quia non intelligunt, quod tamen intelligere non est adeo arduum, vel quia aut à semetipsis, aut ab alijs aliò incitantur, vel quia exemplis tum potentum, tum vniuersæ multitudinis abripiuntur. Sed omnem rem primum accuratè & paucis tamen explicabo, vt intelligatis, quæ in fraudem maximam partem mortalium præcipuè inducant: quibus, aut quorum vni pluribusuè qui deditus sit; is neq; sibi vnquam, neq; alijs in perpetuum rectè consulat. Ea igitur sunt, voluptatis studium, opum cupiditas, honorum sitis, imperandi libido. Vix autem vnum de sexcentis videas, qui saltem vna harum pestium non infectus sit, & quercui aut saxo videatur propior, qui horum siue affectuum siue malorum non aliquo tenretur. Vt autè in omnia quis se præcipiter, quando non solum dissimilia inter se, sed etiam contraria, non dixerim, nisi exemplis conuictus, id euenire interdum penè inuitis: sed ea naturæ monstra relinquamus. Discite igitur: qui aliquem ex illis scopum sibi in vita proposuerit, non peruenturum, quò velimus, vel ipse etiam velit, si recta via rem secum reputet. Quis enim non eo spectat, vt benè beateq; siue, vt eodem tamen respiciens, humiliter loquar, commodè saltem viuat? Quis non refugit longè à miseria, siue incommodis, quantum potest? atqui tam in vnoquoque horum, quàm in conuenientibus quibusdam, & concurrentibus vniuersis, & publicè & priuatim nihil non

C est

est mali. Qui in alios imperium moliuntur, & illos ipsos premunt, & omnium in se odia conuertunt, nec vnquam vacant periculo. Qui ad honores affectant viam, & principem locum in omnibus, quasi iure suo sibi poscunt; & ipsi turbant multa, nec ab iniurijs abstinere, & ijdem omnibus inuisi sunt, quorum existimationi præter æquum bonumq; derogant, & apud peritos rerum eosq; bonos viros, dignitatis suæ iacturam faciunt. Qui in diuitijs salutem ponunt, seq; ijs asseruandis & cumulandis natos putant; cum nemini amici sint, quòd à quocunq; possunt, abradunt aliquid, amicum in orbe non inueniunt: taceo, quod somnum non capiunt, & se perpetuis curis excarnificant. Qui deniq; se voluptatibus corporis mancipant, pecudum vitam agunt, non hominum, nec officio fungi vnquam possunt: cumque se amare sibi videantur maximè, quando non nisi cuticulam curant, & tantum sensui suaui sectantur; ipsi se oderunt maximè: certè ea ex omnibus sibi sumunt, quæ qui sapiat, inimicis vt certum exitium optet. Prorsus enim pereunt, non secus, quàm qui ipse sibi manus adfert. Minimè autem ille se amat, siue, vt dixi, odit maximè, qui quâ homo, se negligit, & quod non nisi animal est, curat, vt nec in præsentem homo sit, & qua etiam homo videatur, quamprimùm, vt dignus est, pereat. Facile in hoc loco disertus sit, quisquis negotium intelligat: sed & sapientum & historicorum, & oratorum & poëtarum libri talium referti sunt: quæ quibus de causis & quemadmodum cognoscere oporteat, vobis diligenter ostendam paullo inferius. Cogitate, & in animos vestros altè demittite: satis esse, si libertatem vnusquisq; retineat, honesto loco sit, penuria rerum necessariarum non laboret, benè valeat, & quibus ad vitæ conseruationem opus est,

ΠΡΟΔΙΑΣΚΑΛΟΣ.

est, iucundè rectèq; perfruatur. Etsi autem etiam adultiores, ni fallor, hæc esse supra captum adolescentiæ iudicabunt, quod neq; ipse diffiteor: tamen dictis ijs hoc loco opus esse censeo, ne, cum horum seminum in cuiusque natura non nihil sit, aliquid pullulet, quod neglectum radices agat ononide altius. Etsi enim, quæ recensui, non omnia afficiunt iuventutem, quando ipsa magis ad liberalitatem & sodalium consuetudinem, vbi æqualitati studetur, quàm ad auaritiam & dominatum propendet: tamen adolescentes has quasi vitij sagittas præuidere, ne ijs aliquando, vt incautis accidit, feriantur, plurimum expedit. Vt autem sordidos & imperiosos despectui habent, & auersantur: ita & spiritus gerunt, & vitæ suauitates quærunt. In illa sententia atq; animo perseuerate, nec vñquam primam cogitationem defigite in ea bona, quæ ordine & pondere infima sunt. Ita neq; sordidè, neq; ineleganter vitam agatis, neq; insuauiter, si primam curam de animi dotibus, secundam de valetudine, tertiam deniq; de vitæ necessarijs, nec alio ordine suscipietis. Quem enim ostendimus, aberrare neminem sinit. Ambitio autem, qua etiam deserti à virtute, parati à sinistris consilijs, via non legitima ad rerum fastigia contendunt, stimulus vobis sit ad verum honorem, & ad ea, quæ hunc pariunt, virtutem ipsam dico, & sapientiam. Hæ enim non adscititio quodam lumine, sed suis æternisq; radijs lucent: qui sunt alterius generis honores, vel astu, aut quibusque malis artibus parti, vel fortunæ temeritate obiecti, non ex re ipsa, sed ab aliorum arbitrio & censura, & leuissima illa domina dependent, nec propriij cuiusquam vñquam fieri possunt. Voluptatum vero blanditijs ne capiamini: hæc sunt illæ Sirenes, ob quarum carmina Vlysses sociorum aures cera obturauit, ne illa audirent.

rent: perijsſent enim: ipſe ſe ad malum conſtringi iuſſe-
 rat, vt audiret tamen abſq; periculo. Id videlicet voluit
 poëta, de eo genere voluptatum audire tuto neminem, niſi
 qui totus parère rationi didiciſſet, longoque vitæ vſu ab
 eius præceptis non declinet. Suſpectum igitur ab initio
 vobis ſit, quidquid cuiquam præter ea libeat, quæ cauere
 à pueritia iuſſus fuerit. Quiſq; enim meminit ſibi ab ini-
 tio à parentibus, educatoribus, amicis decantata. In ijs &
 hoc nimirum eſt, ſiue quotidianum de labore. Laborem
 enim abducere ab infidioſa & peſtilente voluptate: dedu-
 cere ad ſimplicem & largitricem boni virtutem. Decanta-
 tum ſimul, ſi voluptas quærat, hac ratione inueniri, di-
 uerſam ab illa, & honeſtam videlicet & ſolidam. Ab hone-
 ſto enim, nec vera vtilitas, nec ſincera voluptas diuellitur:
 qui abſq; illo alterutri ſtudet & ſibi pollicetur, ipſe ſe in
 fraudem inducit maximam, & ab exitio abeſt proximè.
 Oſtendi, quæ ſpectent plæriq; mortalium, & adſperſi, quæ
 ad reliquum nobis viam muniant. Quod nunc dicam aper-
 tius; id & primum, & ſupra omnia, & in perpetuum vobis:
 immo nobis vniuerſis, tantoq; magis, quanto verſamur in
 ſtudijs humanioribus & melioribus, propoſitum animo
 vniuſcuiuſq; eſſe debet. Oportet autem nos, & ſcire, nec
 in opinione poſitum exiſtimare, & certo ſtatuerè, neq; ab
 diuino decreto ad opiniones falſas relabi, & toto animo
 velle, nec vumquam ab alterutro abripi: hæc duo videlicet,
 honeſtum & publicum bonum. Illud ex dignitate cuiuſq;
 eſt, qua non conſtituta, ſiue amiſſa, nihil eſt, quod quis
 viuere deſideret: nec hominis appellatione dignus reuera
 eſt, qui non in ea, quantum poteſt, operæ ponit: nec hoc
 minus erit ex commoſo cuiuſq; priuatim, quàm ſaluti
 publicæ. Omne enim publicum bonum & ſingulorum vel
 plu-

plurium etiam, in auctorem redundat maximè. De his autem ipsis video subtilius etiam dici posse: nec tamen fortè verius: mihi populariter loqui visum fuit: quæ tamen ipsa metuo, vt satis intelligantur. Tum demum enim rectè intellecta existimem, vbi in animum ita penetrarint, vt, quæ dixi, semper velimus, & omni studio vrgeamus. Quod optare de multis, de paucis promittere nobis possumus: in quibus videlicet sit diuina indoles auro illi Platonico congenita: sed id aurum ingenij in multis ærugine obducitur: enitebit, si perpoliatur: quod recta cuiusq; præclaræ indolis educatione fit. In ea re qui laborem seriò posuerint, non ludent operam, & benè de multis & vniuersa patria merebuntur. Sed quærat ex me aliquis: an iccirco colamus litteras. Mihi ex eo interrogatore contra quærere liceat: an alia vel meliore de causa coli litteras ille censeat. Si meliore, manus dabo illico: etsi in rebus humanis supra ea, quæ ostendi, nihil video. Nam litteras quoq; seruire salutis publicæ, & ipse scio, & sentio. Sed ego de litteris loquor, quoad civili consuetudini rectè vereq; seruiunt. Asseuero igitur, si hoc fine, qui in ipso honesto & salute publica vertitur, aut supinè præterito, aut proteruè reiecto, quis litteras aliò transferat; is rem sanctissimam nefariè prophanet. Id autem agunt, qui litteras faciunt vel instrumentum voluptatis & nequitiae, vel diuitiarum, vel honorum, vel dominatus. Hæc enim quatuor, vt dixi, mirè exercent animos hominum, & contra, quàm ratio dicat & nititur, magna vi rapiunt. Quorum vnum aliquis doctrina præditus, aut aliqua, aut vniuersa, qui sibi proposuit, & primo loco exoptat, næ ille longissimè abest à sapientia. Hæc enim in cuius animo sedem fixit, talium consiliorum *περὶ εὐγενέτων* fibras funditus excidit, & diuinæ

illius siue primariae, de qua ita multum verborum facio, in agro benè subactò & facundo semina iacit: è quibus diuina & hominibus salutaria consilia pullulant. Eorum quæ hætenus persecutus fui, considerationem, vnicuique lectori profuturam, vel gratam futuram puto: etsi à me tironibus potissimum destinata, ad quos reliquam orationem solos conuertam. Animo igitur tuo ad eum finem informato, inq; ea sententia ita confirmato; accipe quid secundum putem. Quicumque se à cœtibus hominum vltro abducit, & vitam viuit solitariam; is vel supra communem condicionem, etiam in his terris quodammodo cum dijs agit æuum, vel hostis omnium, non nisi incommoda & exitium, suo generi plus quàm nefariè meditatur, & quod in ipso est conficit. In neutro ordine primæ ætatis vel vnus deprehendatur: qui si sit, de eo nihil boni speres. Adolescentes enim præ cæteris sui similes & quærunt & facilè inueniunt, quibus cum totos dies sint, fabulentur, nugas agant: suntq; assidui cultores sodalium, donec eos in negotia vitæ cogat necessitas. Rectè autem, qui educationis suorum, quæ principium cuique est vel miseriæ vel felicitatis, rationem fideliter habent; prouident, ad quorum sese applicent consuetudinem. Vt plurimum enim tales euadunt, quales ij sunt, quibuscum quotidie versantur: eorum verba, vultum, facta, animos imitantur, etiam cum id operam non dant. Habet enim hoc consuetudo, vt naturam facilè mutet, præsertim teneram. Proinde qui vitam militarem coluere, fortiores habentur seu asperiores: blandiores, qui in regijs vixere: humaniores, qui in studijs litterarum. Hinc est querela Medæ: *Ἐβάρβαροναι ἄνους* & *ἔσ' ἐν Ἐβάρβαροις*. Sapiunt profecto patres, qui, quorum dissimiles esse filios volunt, ab ijs ipsos arcent sedulo: quo-

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

quorū similes, cum ijs suos iocāq; seriaq; communicare iu-
 bent. Quotidiē is occinūt, vel Theognin vel Menandrū, vel
 quemuis alium: Bonos mores improborum con- 11
 suetudine deprauari: Cum bonis, inquit, te
 perpetuo esse velim: sin te in consuetudinem
 malorum conieceris, si quid sit in te bonæ men-
 tis, id omne perdes ilico. Et hæc & horum similia,
 nemo non vestrum didicit, ac meminit vnusquisque. Quia
 res postulat; ad ea, primū aduenientem, toto animo re-
 spicere iubeo, vt à bonis sedulo distinguas improbos, nec
 ad eam rem longo tibi tempore opus est. Namque ætas ve-
 stra se statim ferè prodit: neq; tamen non interdum astuti,
 se in eorum animos insinuant, à quib⁹ aliquid exspectant.
 Quæ ratio cum omni homine, tum cultore litterarum indi-
 gna est. Familiaribus præterea ostendo, quæ & alibi me
 persecutum existimo, & alia, & hoc imprimis: ex bonis
 cuiq; sodales quærendos, qui eiusdem potius conditionis
 sint, aut non longè supra tuam: quiq; eisdem studijs in-
 cumbant, quibus ipse tu, etiamsi supra te profecerint. Hoc
 si ages; viues suauius, nec in delectu falleris facilè. Nam
 qui fortunatorum notitiam & nobilium aucupantur; in
 vestra ætate facilè obtinent, quod volunt: sed ea consue-
 tudo vix vñquam sincera est, & facilè dirimitur, & in pri-
 mæ notæ amicitiam raro transit. Potius ita te compara, vt
 ipsi te expetant. Id autem modestia, officio, doctrinæque
 acri studio rectè efficies & feliciter. Quod ad alterum, si
 cum eo viuas, qui in ijsdem litteris, quas colere vtriq; pro-
 positum, & ex vsu est, te anteuertit; erit quem sequaris,
 quem imiteris, quo modò duce, modò comite melior fias.

Tem-

NEOΣ KAI

Tempus est, ut ad doctrinæ studia transeam. Litteræ namq; putantur esse, ob quas congregantur cœtus academici. Sic enim loqui solemus, & ita se res habet. Nam etsi quæ dixi, eorum illud caput est omnium, & alterum cum illo prius, tamen vtrumq; præceptum non minus ad omnes, quàm ad nos pertinet: hæc litterarum nostra studia sunt, quæ tamen ad illum finem, de quo initio egimus, debent ab omnibus & vnoquoq; dirigi: cuiusmodi sint illa studia. Tam enim varia sunt, ut vnus eorum multis par esse nequeat: qui omnia admiretur, & omnium desiderio inflammetur; eum ego reprehendendum non existimem: sed sapiat, qui quas litteras ingenio & labore adipisci queat; totus ijs solum incumbat, non in omnibus vagetur, quod absq; solido fructu fieri necesse est. Hoc igitur tiro non cogitet, nec statim ad trium disciplinarum, quas vitæ hominum solas seruire hodiè vulgus falsò credit, transire aliquam velit & nouerit, id perperam à plerisq; fieri: tamen ita faciunt, & faciendum iudicant, quia & earum vsus est euident, neq; tamen omnium primus & summus, & mercedes siue præmia proposita sunt è vestigio, vbi quis in illarum disciplinarum aliqua, egregium spatium confecerit. Itaq; & adolescentes putant, sine mora, ut primum vel vestibulum academiæ adspexerint, sibi animum ad earum vnã adijciendum: nec esse genus aliud litterarum, quo emergant, aut reipub. inseruiant. Sacras litteras excipio, quibus in perpetuum & primus locus debetur & summus. In cæteris autem disciplinis, quæ communi vitæ seruiunt. Nam de ijs, quæ in contemplatione versantur, ad nouitios agere intempestiuum puto. In illis igitur, sunt & aliæ partim inferiores, partim pares, partim superiores. Utinam quisque suo ingenio, suæ eruditioni consentanea studia deligat: quorum
quæq;

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

quæque, vt omnia animi bona siue omnes ingenuæ artes, honestum locum habent, in vita hominum. Et grammatico honestus locus est, neq; nulla interpretis vtriusq; linguæ & scriptorum veterum dignitas: & magna educatoris teneræ ætatis. Horum quisq; si in sua arte valeat, & fidem præstet, inueniet in rep. locum, & ciuibus erit carus, & ad vitæ cultum habebit, quod satis erit. Vidi tales quæri, præpositis quoq; præmijs, eaque tribui ex mediocribus. Non dicam de arte poëtarum, quando à paucis intelligitur: quanquam mirificos vsus præstat reipublicæ. Ad eam non nisi diuina ingenia vtrò sese conferunt: olim & laudem reportabant, & præmia. Expedit autem reipublicæ, vt clari à maioribus, & bonis insuper fortunæ cumulati ius ciuile degustent, sed legum interiorum disquisitionem & tractationem litium relinquunt medijs loci hominibus, qui totos se iuri ab initio dederunt: ipsi autem vbi in bonis litteris non nihil profecerint, eloquentiæ se dedant, non ei, quæ vulgo talis habita, in celeritate, & volubilitate linguæ vertitur, sed quæ promanat è sapientia, vitæ hominum moderatrice certissima: itemq; historiam, quam nemo absq; temporum & orbis situs notitia rectè cognouit: deniq; ciuilem illam scientiam, cuius basis est altera de vita & moribus, principem omnium, quamobrem & architectonica dicta fuit. In quas vero digitum intendi, eas tiro rectè magnificiat, sed primùm adueniens, nullam earum, antè quàm vires ingenij sui explorauerit, ambiat. Vereor enim, ne repulsam patiatur. Principiò vnde venias, & quid tecum feras, cogites: nec quæ in ludo puerili degustaueris, vt vulgo faciunt, abijcias. Vidi qui bono ingenio, Græcè maximam partem intelligerent; vbi pedem in academiam intulissent, potius, quàm institutum

D

per-

|| ars poetarum.

persequerentur, aggressos quiduis aliud. Ita faciunt iacturam operæ tot annorum, benè positæ, si pergerent. Discerent enim & ea facilius, quæ cæteri vix magno negotio, & alia, quæ nemo discit absq; eius linguæ adminiculo. Ne quis enim suspicetur, me linguam propter ipsam discendam putare. Altera iactura eorum grauior est, qui bonos auctores de manibus seponunt, quasi eorum lectio non nisi ad pueros pertineat, nec nisi ad Latinum sermonem faciat: animum verò nulla alia re erudiat. Ego igitur consulam, vt quos pueri vix degustaueritis, eos deinceps auidius hauriatis, & ab ijs ad eorum similes proficiscamini: non poenitendum operæ pretium feceritis. Sed in primis familiarem vobis facite Latinum Lyricum, quicumq; estis, quocumque vos postea conferetis. In pluribus causis vna hæc est, & prima, nec potior lectionis, poëtarum præsertim, dari potest. Neminem fugit, vt olim tam Romani, quàm Græci, filios à pueris Homerum legere, & ad vnguem ediscere iusserint: non vt tantum varietate & vicissitudine rerum à poëta singulari arte repertarum & explicatarum animos oblectarent, sed vt cum voluptate, quæ percipitur è talibus, ea pueri imbiberent, quæ adultiores domi & foris, & intra parietes, & in vrbe, & in suis & publicis negotijs vsurparent, si consilium capiendum, si quid ad alios explicandum, si quid deniq; pace militiæ gerendum. Cognosci enim ibi omnem viuendi atque rectè viuendi rationem, quod nihil omnium à poëta esset prætermisum, iudicabant. Nec verò operam ludat, qui priscam illam, vsuque optimorum sæculorum rationem probatam, sequatur. Paucis id demonstrari potest. Quando enim primis annis ea res plærumq; negligitur, adultiores laboris piget. Qui tamen primis in discendo molestijs deuoratis hoc consilium

lium

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

lium amplexi fuerint; & sibi deinceps gratulantur, & auctoribus agunt gratias. Secunda, ut aiunt, navigatione uti poterit, qui, quod cuique magis in promptu est, Horatium discat: Hic cum belli Troiani scriptorem, Qui, ut idem inquit, QUID SIT PVLCHRVM, QUID TVRPE, QUID VTILE, QUID NON, PLENIVS AC MELIVS CHRYSIPPO ET CRANTORE DICIT, quotidie in manibus haberet, & sanctissimum officij magistrum esse crederet; hac in parte se ad eius imitationem composuit, & pleraque singulari studio persecutus fuit, quibus animi à vitio expurgentur & virtute perpoliantur. Primum in satyra, dum alios atque alios carpit, deterret ab omni genere vitij, à luxu, ab amoribus, ab avaritia, nec minus à sordibus, ab ambitione, & cæteris. Id verò est, & viam munire ad virtutem, & ad officium excitare. Idem & in alijs agit philosophum. An non enim magistrum vitæ dixeris, qui tam accuratè de tranquillitate animi docet? quæ reuera summa est in vitij fuga, in modico fortunarum studio, in recto earum usu, in moderatione voluptatum, in meritis erga alios, & potissimum erga patriam, in sincero amicitiae cultu, in animi integritate, in vtriusque fortunæ moderatione, in æquitate animi tam in rebus asperis, quàm florentibus, nec minus in contemptu mortis & rerum humanarum omnium. Affirmare non dubitem, qui in hoc poëta multum operæ posuerit, eumque ita perdidicerit, ut eius versus, non in ore natos aut extemporaneos, ut putatur, non memoria teneat (nec verò non sunt, qui hoc præstiterint) sed probè intellectos, ad usus vitæ transferat; hunc

posse rebus suis suorumque rectè in omnibus aliquid boni consilij inuenire non dubitem: nec minus idem patriæ rectè consulat, præsertim si & ad historiam se conferat, spectans id, quod potissimum ostendimus. Omnia tanti pretij sunt, vt qui nostrum ea negligat, idem & se & suos & patriam negligat. Sed hic querela oritur, in qua consopienda mihi laborandum intelligo: etsi vereor, vt proficiam apud aliquos, quantum velim, & expediat. Sunt enim pertinaces, tum qui momenta rerum per penuriam rationis non intelligunt, tum qui supra se semper emergere apud animum induxerunt. Dicit enim tenuior aliquis: sumptus me deficit, illis ego vacare non queo: ad metam mihi, admissis ingenij viribus, quasi equo, euolandum. In hoc igitur sapis, qui de sumptu cogitas. Neque enim quemcumq; possis, frustra facere oportet. Idem plus sapiens, si & ingenij vires naturamque omnem tuam explores, atque consulas deinceps in deligendo vitæ genere. Non est, vt de singulis dicam. Longum enim foret: etsi res fortè magis perspicua fiat: tamen aliquid amouebo caliginis, nec nisi vnum exemplum proferam, quo fias cautior, & tibi prouideas in principio rectius. Qui nullo sit robore membrorum, & cum morbis identidem luctetur; is ab incude refugiat, queratur, non posse se tanti ponderis malleos at tollere, nedum totos dies ad ignes perpetuos, cum validis contubernalibus adstantem, nec respirantem vnquam, tenuia illa & imbecilla iactare brachia. Confer iam mihi vires ingenij cum viribus corporis: & vide ne grauius onus tibi imponas, quàm cui ferendo sis. Non omnium est eadem mentis acies: nec eadem omnium in rebus gerendis animi præsentia: nec semper arte aut vsu comparari potest: nec tolerant ciuilia negotia, qui corpore minus firmo sint.

sint. Itaq; senes ea relinquunt, nisi quid incidat necessariū. Vidi, qui ingenio, arte, industria, viribꝫ præditi, cum modū rebus gerendis non statuerēt, aut hoc ipsis, per genus vitæ, quod siue casu coluissent, siue vltro sibi sumpserent, non liceret, ante senectam toti conciderēt. Memineritis igitur quod monui, & tenere hoc Horatij: Metiri se quemq; suo modulo ac pede, verum est. Quō natura ducit, quō conditio vergit, quō fortuna patitur, eas. Vt enim, natura repugnante frustra contrā nitaris: sic aut non admodum, aut infeliciter profeceris præter conditionem. Nemi inuideo, qui ex humili loco emersus, in fastigio virtute & meritis constituatur: esse aio non sine periculo, & rarò, fuisse in perpetuum felix. Tenuitas te, ni fallor, siue fatum tuum monet: neq; tamen non concedit à secundo gradu ire in tertium, vel altius, modò de gradu in gradum pedem promoueas. Hoc autem fit ea ratione maximè, quam indico. Si enim id ages, quod primò omnium agere oportet; magna, nec magno sumptu, consequeris: & parvus ille sumptus, quem benè impenderis, nouum tibi maioremq; breui pariet. Nam si homines de probitate modestiaq; tua accipient, tuq; ea, de quibus monui, didiceris, in portu nauiges. Fides enim & doctrina amicos inueniunt & fortunam. Aut enim te fortunatorum aliquis complectetur vltro, & liberaliter habebit, donec metam, cui par sis, contigeris, aut filio educatorem dabit, vt lautius insuper viuas, & in litteris maius spacium, & felicius, quàm olim putâris, conficias. Etenim cui pater filium credit; parum abest, quin eum pro filio habeat: quin habeat in carissimis, dubium esse non potest. Dicas, multos hac bona spe frustratos esse: audi alterum: fidem & litteras vt

vnus deserat, alter expetat: tu modo à fide & litteris ne digreditor. Hæ cum fallere neminem possint; neq; vos ea spes, quam vobis facio, faller. In hanc sententiam fortè commodo suo legant, epigramma meum, modò idem diligenter considerent, quorum ea est querela. Etenim tenuiorum egestati talem medicinam rectè bonoq;ue euentu fieri posse censeo. Sunt autem hi versus.

*Alas ingenio donat fortuna benignè,
 Ni te luxuriæ dedas malè sanus inertì,
 Perniciem in propriam verso tam turpiter auro:
 Illa sed inclemens si te pernice volatu
 Prætereat, quosuis quæ stultè censet eodem
 Ordine, ne te ex spes infracta deijce mente
 Propterea: fulcire animum ratione serena
 Ne dubita: ratio sophien & commoda vitæ
 Conciliat, certo sapiens quæ terminet vsu.
 Quî ratio? Caue, ne te stulta & sœua pathôn vis
 Imperio vexet: sed mens vigil imperet illis:
 Cum primis cole sophrosynen, omnemq; modestè
 Vitam age. Quis talem & tantum non diligat vltro?
 Atq; ea disce puer, claro præeunte magistro,
 Os quibus, & mores polias & pectus amicum,
 Principiò ipse tuum. Quæ rara præditus arte
 Quando eris, haud deerit, qui te quoq; largius ornet,
 In patribus princeps, in tempore prodigus æris,
 Cumq; suis iubeat felicem viuere natis.*

E cælo

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

Ex caelo dictum ratus, hoc sequere, in tenui re
Quisquis es, optatum tibi amice & filium Ariadnes.

Aforti autem, & iracundi, & pigri, & rus olentes, non magis locum inveniunt apud bonos, quam qui, quibus erudiri pueritiam oportet, ipsi non perdidicerint. Illa verò & ad alios pertinent, non propriè ad nouitiū, quorū tamen, si egeat, ijs aliquando rectè & commodo suo vtetur. Multo plura sunt, de quibus quis academicæ vitæ insolentes, & rationum nostrarum ignaros, rectè moneat: sed mihi iam non est in animo, ea oratione persequi, quæ cuius in mentem veniant: ne attingam quidem, quæ vel ex ijs, quæ dixi & modo dicam, dependent, vel quemque vestrum per se videre arbitrer. Non enim cum ijs mihi negotium, qui omnium rudes prorsusque pueri, vel infra tirones sunt. Tales enim vel in minimis, quasi pædagogici manu ac cura ducendi, nonnunquam imperio coërcendi sunt. Nec vero vobiscum, nisi de duobus capitibus adhuc agam. Valet ferè in omnibus, quod ex poëta in prouerbum abiit: σύν τε δὲ ἐξ-
 χομδύω. Nam siue in arte medica consilium capiendum est, siue quodcunque, quod operæ pretium sit, agendum; saltem vnum aliquem hominem, in quo fides sit, nobis adsciscimus. Id res graues postulant, aliæ ferunt, ad ludicras vsque: quin raro quis absque comite prodit in deambulatiunculam. Ita quisque in studijs domesticis, è sodalibus vnum atque alterum sibi adiungit: plures in tali esse contubernio, non probem: quod, quamuis bonum institutum, sæpius interrumpitur. Fit enim sæpè, non solum vt plures diuersum velint, sed alius alium impediatur. Pauci igitur æquales, ingenijs & profectu pares, aut non adeo dissimiles inter se, in vtra ipsius lingua commodum fuerit, vel poëtas,
 vel

vel oratores, vel historicos vicissim legant: ita ut qui quo
 die interpretis munus gerat, meditatus accedat, ceteri eius
 diligentia erudiantur. Et simul & nullo negotio, & in o-
 mni genere & breui proficient. Ita diligens contubernalis
 non minus in hoc litterarum spatio ceteris pro magistro
 erit, quam facundus comes vnà iter facientibus pro vehi-
 culo esse dicitur. Neq; hoc improbem, ut in quo quis plus
 possit, in eo æqualibus præeat. Fit enim, ut alius in Græ-
 cis litteris, alius in historia, alius in poëtis, alius in orato-
 ribus exercitus præ alijs fuerit. Ab his, quæ prima esse
 oportet, ad grauiora aliquando poterunt progredi, qui ar-
 tium vel scientiarum fundamenta prius fideliter iecerint.
 Non sufficit autem, nec ab omnibus statim vsurpari potest
 à me ostensa ratio, qua qui uti velint, aliquousq; progres-
 sos esse oportet: nec in publicis auditorijs semper pri-
 mùm aduenientibus accommoda tractantur à doctoribus.
 Quocirca & alijs datur locus, qui priuatim doceant, à qui-
 bus nouitij quasi præexercitentur, ut publicè docentes
 maiore commodo suo audiant. Hic adolescentulos moneo
 (hoc enim reliquum erat) ut non temerè, nec de æqualium
 puerili suasu, aut insufurratione, sed de consilio docti viri
 audiant, quem audituri cunq; sint. Si qui ab ijs, quæ pub-
 licè docentur abhorrentia, siue cum ijs pugnantia promit-
 tant; ad eos ne se applicent: ni perplexis & insulsis opi-
 nionibus, quàm veritate imbui, & apud imperitos videri,
 quàm esse docti malint. Hoc enim agunt sophistæ, ut ex
 inanibus doctrinæ umbris, & sapientes videantur, & com-
 pendijs suis consulant: ad vtrumque ipsis commodum est
 greges auditorum ducere. | Atque hæc hætenus: nunc me
 conuertam ad priuatos magistros academicos. Qui enim
 publicè docent, eos omnibus rebus ita instructos esse o-
 portet,

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

portet, vt nec meo, nec cuiusquam consilio magnoperè e-
geant, & si quid ipsi in se desiderent, partim à collegis o-
pem possunt petere, partim è monumentis veterum: quæ
qui nostrum negligat, nec quotidie in manibus habeat
eum hoc docendi munere nec bona fide, nec cum laude
functurum censeam. Rectè faciunt, & ex vsu iuuentutis,
qui recta domi docent, ne quid vllò in genere aut parte di-
sciplinæ desideretur. Fit enim non solum, vt interdum
cessemus doctores publici, siue ob negotia, quæ declinare
nequeamus, siue ob valetudinem, quam negligenter habere
non debemus: qui negligat, & in se grauitè, & in repub-
licam grauissimè peccet. Vt enim veteranis succedant vi-
ribus non impares; eodem statim nec consilio erunt, nec
pari auctoritate. Hæc enim momenti plurimum habent,
non in militia solum, sed & in litteris, ac denique in nulla
non vitæ parte. Præsto igitur nobis estote, docti iuuenes,
istis laboribus, & parate vos istis exercitijs ad grauiora
onera subeunda: vt propediem vel nobis decedentibus
succedatis cum dignitate & commodo publico, vel in colo-
nias migretis, vbi nouas quasi politias condatis litterari-
as. Non temerè est, quòd vos diligentius siue acrius paullo
appellandos censeo. Barbaries enim iterum, non illa so-
lum, quæ in verbis siue incondito sermone est, quanquam
hæc alteri præit, vel comitatur, vt in ea concilianda occu-
pata esse videatur, sed sæuior multo & nocentior, quæ in
animis hæret, & in moribus hominum, ingruit, & nisi tan-
to malo eamus obuiam, longè lateq; imperium tenebit &
propagabit: in quo est initium miseræ & singulorum &
totarum gentium. Vbi enim liberalium disciplinarum &
non adumbratæ cuiusdam virtutis studia paullatim lan-
guescunt, ibi miseræ fenestra aperitur: vbi delentur; (hæc
E enim

enim est, quam dicimus barbariem) calamitas magno impetu irruit, & quantum nocere dicuntur ignis & mare, non minore violentia, non vnum alterumq; oppidum, sed totas gentes vel funditus euertit, vel in miseram faciem transformat: in quibus tantum est mali, vt si vtriusq; optio datur, vtrum malis nescias: vtroq; certo modo perieris, siue perierimus. Fortè tanti non esse putes, de quibus initio monebo: sed in ijs cultis quantum deprehenditur boni, tantum in neglectis mali esse existimandum est. In lingua esse omnia, nunquam credidi: sermo nuncius mentis est, & interpres sapientiæ: nec est per se in pluribus linguis sapientiæ copia. Vnde meritò eos ridemus, qui se plurium linguarum inani notitia venditant. Sed in quibusdam linguis sapientiæ præcepta magis continentur, quàm in alijs. Non est fortè nullus sermo ita barbarus, in quo non inuenias aliquid, quod ad rem sit, & iuuet admodum: sed quia è plærisq; non multū, nedum omnia exspectes, non est, quod in plurib. perdiscendis multū téporis & operæ ponas. Non didicisset Naso, neq; Geticè loqui, neq; Sarmaticè, nisi in exilio cū Getis & Sarmatis procul à patria vitā egisset. Peregrinas quoq; linguas mercatores discunt & eorū seruuli, nec eas solū cultarum gentiū, sed etiam barbararū, quibus cum ipsis commercia sunt. Vt autem illum cogebat necessitas, ita hos inuitat lucri spes. Nec desunt, qui vel inanitate ingenij, vel vt longinquas terras adeant, siue viuendi, siue cognoscendi gratia, plurium gentium sermonē degustant: quorum primos contemnimus: alteros ob curiositatem, non inelegantem tamen, non magnificimus: qui maius aliquid spectarint, laude dignos existimabimus. Horum igitur si aliquos non admodum vituperemus, reliquos etiam laudemus; quantam reprehensionem huius sæculi, siue

ΠΡΟΔΙΑΔΑΣΚΑΛΟΣ.

siue nostra potius meretur negligentia? Etenim in quibus
 linguis omnes ingenuæ disciplinæ & omnes partes sapi-
 entia, siue philosophiæ, tanquam in scrinijs continentur;
 eas ita negligimus, vt Græcam pauci admodum discant,
 pauciores intelligant: altera ita quoq; iacet, vt plæræq;
 academiæ Latinè vix balbutiant: nec ad rem facit, etiam si
 quotannis tota plaustra nouorum librorum prodeunt, non
 boni nulli, ferendi aliqui, plæriq; malè feriat: vbi chartæ
 pluris sunt, quàm quæ ijs labore multo & graui sumptu
 impressa sunt. Non acruos, sed montes, ante pedes exstru-
 ctos videre licet, *θέσεων*, de quibus absq; rebus passim litiga-
 tur: sunt orationes, infantium medicam, an intelligentium,
 nihil supra remiges: poëtarum volumina, quæ saburræ
 foeteant: hinc noui acrostichistæ, eteostichistæ, anagram-
 matistæ: inane studium, quoniam de sexcentis vnum vix
 micam in se salis habet: comici item sine lingua, sine arte,
 sine mente: historici, sine vita, sine consilijs: quidam in nu-
 gis, & fabulis anilibus occupantur: alij millies scripta re-
 coquunt: *ἑωλοκρησίου* dicas, nisi quod plærisque nemo frui
 potest, vt hesterni epuli reliquijs: non dicam de ijs, qui vel
 se inter se vel innocentes conuitorum luto conspergunt:
 denique vicus non est, quin scriptorem habeat. Igitur in
 plærifq; merum rus, inscitia & barbaria. Quanti erat, prius
 doceri? eos præsertim, qui vno nutu & graui supercilio
 omnis vetustatis scripta iugulant: nec tamen vel ridiculum
 musculum, sed mera monstra pariunt. Non equidem ex hac
 iusta & necessaria reprehensione voluptatem ipse capio:
 res ipsa magnum mihi dolorem inurit. Afficit namque me
 iactura veritatis, & oppressio siue diminutio salutis publi-
 cæ, quam inde consequi video. Nec vero quemq; his sagit-
 tis peto, nisi inscitiam & malitiam. Etenim & satis bonum

NEO Σ ΚΑΙ

laudare malo, quàm vituperare nequissimos. Sed vel hoc vel illud genus ostendo, quod nec probo, nec probandum fuit: nec me ab omni errore excipio. Nam & ipse oratiunculam non ita floridam scribo, vt probem, rude epigramma, & vix tolerabilem versum pango: cuiusmodi admirer interdum & ipse, alias atq; alias nugas chartis illino, siue sæculi, siue errore meo: à quo in vniuersum me vindicare vix vniquam potero. Ita fit, vt mihi ignoscam & alijs, ætate iam prouectis, si se minus retexant, modo in quanto animi errore fuerint, & in hunc diem maneant, agnoscant. Sed, deum immortalem! supra modum difficile est, sibi aliquid persuadere de auriculis asini: vsq; adeo, sibi vnusquisque miserè & peruersè carus est, & de sese pollicetur omnia. Quidquid autem horum attigi, non feci profectò, nec cuiusquam ludendi, nec oblectandi lectoris gratia: nec alia de caussa facio, quàm vt à talibus iuuentutem absterream, vel vos siue erudiam siue confirmem. Fortè enim & ipsi in vobis aliqua desideratis: in recto spatio progressi, pergite alacres: fauemus vobis, & ex vestris animi dotibus & eximijs studijs voluptatem capimus. Vt à principio ordiar, ipse profectò eos amo, & laudo, qui Græcum sermonem didicerint, & in cognoscendis Græcis scriptoribus multum operæ ponant. In quo qui vestra ætate non desudat, viaticum ad cultum philosophiæ necessarium negligit: nec eas litteras, de quibus agimus, assequetur, & si se ad scribendum conuertet, non satis feliciter in tanto opere versabitur. Id Latinus poëta de poëtis censuit: ac proinde eos iubebat exemplaria Græca, Nocturna versare manu, versare diurna: neq; solum legere quæcunq; poëtarum princeps cecinisset, sed & philosophiam discere, eam potissimè

tissimum, cuius extitisset auctor Socrates. Nec vel vnum omnium Romanorum hodie in manibus habemus, quin plæraq; ex illis fontibus hauserit: siue id profiteantur, siue dissimulent. Nemo fuit ita ingratus, qui negaret: plæriq; tam ingenui, vt præ se tulerint. Quin extitère, qui cum reliquos non aspernarentur, & ex ijs, quæ vsui essent, mutuarent, ad vnum tamen omnium certum aliquem se componerent, quem præstare eius generis alijs, & magis ingenio institutoq; suo congruere arbitrarentur. Circumferamus enim ad omnes oculos: nec Ennius, nec Plautus Græcos neglexerant, ad quos tamen minores deinceps accedere propius: Terentius Menandrum sibi proposuerat & Diphilum, Tullius Platonem & Demosthenem, Virgilius Homerum, Horatius Pindarum, Sallustius Thucydidem, Liuius Polybium, Varro quoscunq; quando, quo loco voluit, vnde Romanorum ille fuit doctissimus, qui neq; Carthaginensium scripta neglexit. Cum principes nominauerim, non est cur producam cæteros plærosq; cum illis non comparandos. Denique nec eorum aliquis est, quin vel videri voluerit, se à Græcis sumpsisse plurimum: atque adeo quo quis inde plus ad se transtulit, hoc semper habitus fuit melior. Sic igitur putate, hoc esse alterum & nobilius & primum, & Musarum & sapientiæ scrinium, è quo qui parum deprompserit, eum aliquo loco, qui nihil, nullo futurum inter scriptores bonæ notæ, taliumq; scripta vel sermonibus remigum, vel anilibus fabulis esse simillima: nec vitæ genium habitura. Idem verò persuadete discen-
tibus ingeniosis, præsertim qui elementa linguæ secum attulerint. Hoc eo magis vrgebimus, quò curæ est paucioribus. Centum abhinc annis, atque vno deinceps sæculo ferebat Græci sermonis studium, apud Italos, Gallos, Ger-

manos: à tineis & blattis vindicabantur scriptores nobilissimi: struebantur regum & priuatorum bibliothecæ: debetur autem gratiæ, quantum dici potest, cum alijs typographis, tum eorum principi Aldo: nec ipsi ex eo tempore defuere rei litterariæ, & faciunt officium hodiè, præsertim in Germania. Quòd scriptorum, (de Græcis modo loquor, & eorum interpretibus) editiones non renouantur; academiæ vitium est. Linguas supinè negligimus, doctrinas leuiter degustamus: ingentes librorum moles ipsi enitimur, suntque hodiè epulæ litterariæ Perficis perfimiles: in quibus, vt comicus ait, assos boues apponebant. In scholis initia Græci sermonis, nec infeliciter & hodiè discunt pueri, sed ferè omnem operam & id tempus perdunt: sed ipsi culpa vacant. Sunt enim, qui eos desistere iubeant, vt à superuacaneo & prorsus inutili studio. Hoc si ita est, cur ab eo non arcentur initio? Etenim quid est, exempli gratia, si qualibet lingua salutem dicas, obmutescas statim? nec quid te iuuerit, & est inanis ac deridicula ostentatio, si Hebraicè legas, versum Græcum pronuncies, nihilo doctior psittaco, qui quod à populari vel Ibero præcentum meminerit, identidem cantillet. Sed maior est, & prima academiæ culpa. Italos iam pridem fastidium cæpit Græci sermonis, & satietas Latini: nec cum ijs disputo, qui vtrumque rectè fieri contenderint facilius, quàm bonis rationibus euicerint. Mars conturbauit studia Galliæ tot sæculis: optandum regno florentissimo, vt & ipsum reflorescat, & reflorescant vnâ litteræ. In nostris academijs sermonis Græci vestigia vix reliqua dixeris. In septemviri ad Albim, me adolescentulo, frequenti auditorio Græcos scriptores, sed cum primis sapientissimum Euripidem docebat Vitus Vinsæmius, & scholas suas condiebat per-

eru-

ΠΡΟΔΙΑΣΚΑΛΟΣ.

eruditis salibus, vt & plures confluerent, & plus non lingua solum, sed & doctrinae reportarent domum. Eodem tempore Georgius Cracouius, iuuenis magni animi, multus in optimis scriptoribus, in cuius ore & oratione non elegantia solum, sed & maiestas erat, Homerum interpretabatur, non vt aliquis è triuio grammaticus: diceres te audire ad vitam & consilia grauitè informantem auditores veterum sapientum aliquem. Erat enim & iuris ciuili sciens, & decreta sapientiae didicerat & discebat quotidie: cui viro me eo tempore & deinceps carum fuisse, etiamnum mihi volupe est. Accedebat siue praecedebat tertius, qui politiores litteras illò primùm intulerat, praè omnibus praèclarè de Saxonia meritis, Melanchthon. Audiui namq; initio interpretantem Apollonium & Aristophanis quaedam: attentius postea Pindarum & Thucydidem: sed cum paucis admodum. Nec enim is quorumcunque stomachi cibus. In academia Lipsensi Ioachimus Camerarius, quem, tum ob diuitias variae, bonaeque & elegantis doctrinae, quarum ille ostentator non fuit, tum ob grauitatem morum & consilij copiam, magnum vsurpare viri docti solent. Ille igitur ibi interpretatus fuit, ferè quidquid est veterum Graecorum: nec non disciplinam & praècepta eloquentiae ex ipso Aristotele docebat: quod & ipsius ingenij monumenta, quae in studiosae iuuentutis manibus sunt, facile testantur. Camerarianas operas excepit, illius alumnus, Gregorius Bersmannus, iuuenis sanè doctissimus, qui in patria, quae didicerat, in Italiam eo nomine profectus, in omnibus se confirmarat, eaque mirè auxerat: quo nomine singularem laudem meretur, quod pauci hodiè ea gratia sumptum faciunt, & labores tolerant. Nam siue iuri ciuili student, siue arti medicae, siue peregrinatione se ob-

le-

lectant, siue spectant aliud, qui longinquas regiones flo-
 rente ætate adeunt: neq; non tamen & illorum quiq; suam
 laudem merentur: sed præcipuam, qui id litterarum &
 philosophiæ gratia faciunt. Ipse illac olim transiens, fre-
 quenti schola luculenter explicantem poëtam Græcum
 audiui. De reliquis in vicinia academijs nihil hic verbo-
 rum faciam, quòd de plærisque, quod ad hanc rem, quod
 dicam, parum habeo: de vna atq; altera loqui me res co-
 geret tenuius. Deniq; eo hodiè ventum est, vt interpreten-
 tur aliqui Græca tam ieiunè, quàm quæ pueris proponi
 solent in ludis litterarijs: ac vix in pluribus academijs
 vnum atq; alterum reperias, Græcæ linguæ magistrum, qui
 scriptores legerit, vel ipse intelligat: vsq; adeo sectamur
 umbras rerum, & ipsas res negligimus. Nec ego hæc dico
 carpendi studio, sed beneuolentia erga iuuentutem, si for-
 tè expergiscantur academici, & dignitatis suæ rationem
 habeant, & vtilitatis discentium: ex quo studio proma-
 nant multiplicia commoda reip. Quod si quis ex me quæ-
 rat, quid hac in re ipse egerim aut præstem. Hoc primùm,
 quod rem necessariam & tantoperè neglectam vrgeo: ac
 facio præterea, quod in me est. Cum ætate vigebam in
 academia Rostochiensi, & publicè & domi nihil omisi o-
 mnium, quæ huc facerent: nec ferè veterum aliquis est, in
 quo quemadmodum adolescentes versari oporteat, non o-
 stenderim. Ibidem Ioannes Posselius, & probus vir & dili-
 gens, faciebat, quod in ipso erat: vnum præ cæteris, quòd
 & opuscula non in vulgus nota edebat, & explicabat audi-
 toribus. Hoc autem nihil magis ridiculum, nec quidquam
 inanius: quòd passim versus scriptitant, qui linguæ vnam
 pagellam non intelligunt. Talis hodiè passim Græcarum
 litterarum cultus est: cum neque qui linguam calleat, ille
 mihi

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

mihi iccirco in Græcis litteris esse videatur. Nam qui in ipsas disciplinas non penetret; ei inania verba sunt & habenda pro nihilo. Hic iuvenes, hic iuuate rem litterariam, & in scriptoribus vtriusq; linguæ explicandis deferte operam minoribus. Quod vero de Græca lingua maximè fieri dictis nominibus, idem de Latina lingua minimè negligi velim. Hæc enim ea est, qua ab aliquot sæculis in loquendo & scribendo vtuntur musarum cultores: hac item vtuntur Christiani orbis principes, gentium linguis popularibus multis inter se prorsus dissidentibus, in arduis quibusq; negotijs, in feriendis foederibus, in faciendis inducijs, in facienda pace, in communicanda humanitate & religione. Quocirca singulari studio, non vt ad canones solum grammatices quadret, sed natiuam proprietatem sapiat, ab ijs discenda est, qui non in vmbrijs disputantium latere, sed in lucem reipublicæ prodire constituerint. Non solum plus dignitatis sibi comparabunt: sed, in quo omnia vertuntur, in suscipiendis expediendisq; negotijs erunt feliciores, quantò videlicet disertiores & luculentiores. Arma crediderunt esse & instrumentum sapientiæ eloquentiam: neque eloquentia prudentem minus instructum oportere, quàm fortem virum in militia clipeo & hasta, & armis cæteris. Nec enim solo animo & nuda manu hostiles impetus propulset aut sustineat. Suprà etiam dixi, quam vnusquisq; vtilitatem ex Latinis scriptoribus caperet. Nihil enim dicunt, qui, vbi sermonis aliquid intelligas, ilico te libros abijcere iubent, & transire alio: ad necessaria, vt aiunt, & priuatim plus vtilitatis allatura. Somniant nimirum in libris veterum, quos pueri discimus, nihil esse, quàm quæ vel aniculæ, vel humillimi quiq; de plebecula inter se garriant: Latina quidem & ipsa: nec talia, quæ

F

nego-

negotium habeant, sed quibus tamen aliquando in tuis rebus, ubi videatur, uti possis. Perimbecillis iudicij sunt, siue nullius potius, qui vilia non discernunt à sublimibus summi pretij, ac sæpè illa his anteponunt. Nónne ridiculus sit, qui sordidum pallium, & pallam gemmis auroq; rigentem, eodem loco habeat? potest autem hic locus multis modis illustrari, quod & vos in loco enitemini, ut imperitis & rudi ætati persuadeamus, quod verum est, & ex usu discentium. De hortis vobis in mentem veniat, rusticos esse, in quibus non nisi herbæ plebeia nascantur, & olus rusticum, allia & cæpe, & alia vel tetri odoris, vel alioquin noxia: eos vel transeatis vel fugiatis. At si tempe Thessaliæ, de quibus mira referunt, intremus; ibi totos dies consumamus oblectandi animi oculorumq; gratia: idem eueniat ingressis hortos Alcinoi, ubi ὄχνη ἐπ' ὄχνη μεθύσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μῆλω: ubi nunquam maturi fructus omnis generis deficiunt: nec non ingressis hortos Cyri, quos, ut auctor est Xenophon, ille regum & optimus & potentissimus manu sua conseruat. Non aberrabimus, si Romanos scriptores (de his enim sermo est) cum ijs comparemus: è quibus non minus fructuum, quam voluptatis perceperis. Sunt autem illi fructus, ut maximi, ita perpetui. Fontes sapientiæ perennes illa monumenta verè dixeris: siquidem sapientia salubria vitæ consilia pollicetur, & expetentibus indagantibusq; copiosè ministrat. Sed descendamus in hanc considerationem & alio pacto. Si te reges è turba in consuetudinem adsciscant & deinceps in senatum principum reipub. legant, non ut statim rogatus ut sententiam dicas; quæ enim? sed noua, inauditaq; & vulgo incognita, quotidie spectes & audias; nõnne & ipse tecum præclare actum putes, & alij te beatum prædicent? In illa enim consuetudine
non

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

non solum supra æquales, sed prorsus supra plærosq; pro-
ceres, non splendore & elegantia, sed virtute & prudentia
proficias, vt sis à regibus proximus, eorumque similis esse
videaris: certè, vt illi te indies chariorem habeant, cuius
vñus in rep. sit aliquando maximus, & studia laborésq; sa-
luti populis. Expeditam tibi ad condicionem tam optabi-
lem, quasi digito viam monstramus, cum te colere iubemus
id scriptorum genus. Nec enim sunt de triuio, nec de ta-
berna, nec rus sapiunt, aut fæcem plebis, nec Orbilianum
quippiam: errat vehementer, qui de ijs talia suspicatur.
Etenim qui ea nobis reliquerunt, aut principibus reipub.
fuère familiares, aut ipsi principes reipub., atque ijdem
bello paceq; res maximas in orbe gesserunt, vt ne quidem
quisquam habeat dicere, ea esse in vmbra nata vel in pul-
uere: aut ab otiosis excogitata, qui res ipsas non attigis-
sent, & fortè rerum humanarum rationes & vicissitudines
non considerassent. Aliquos ita de nobis iudicare patiar,
etsi habeo, quod pro philosophis loquar: nec negabo,
quas quisque res exercuerit, eas res ipsum melius intelli-
gere, luculentius perscribere, præsertim qui & litteras pri-
ma ætate didicerit: in quibus etiam Romani educabant li-
beros. Agam de his scriptoribus: ac primùm, Tullius om-
nes honores ipse gessit, vel, vt dicam planius, virtutem &
prudentiam probauit patriæ & omnibus reipub. partibus.
Eius igitur scripta consilio siue sapientia vacare ne existi-
memus: sed hæc ab ijs demum cognoscitur, qui res huma-
nas non negligenter aspexerunt. Cæsar imperator, & im-
peratorum, vt hodiè loquimur, primus, an imperandi ar-
tem nescierit? Terentius, non vt hospes aut libertus, sed vt
ciuis Romanus fabulas condidit, siue quasi dictantibus Læ-
lio & Scipioni inscribendo operam dedit: neque non id

professus palàm fuit, quod sibi laudi duceret. Quis negabit de Virgilio & Horatio? Erant enim in familiaribus Mæcenatis & ipsius Augusti, vt intima quoq; reip. cognouerint. Nec vel eo sæculo, vel sequenti quisquam fuit scriptorum alijs dignitatis & conditionis. Multi tum quoq; omne genus ineptiarum & insulfitatis chartis illinebant, quos boni poëtæ merito insectantur: sed ea, vti digna erant, cum suis auctoribus occiderunt. Quæ verò à tot sæculis, in barbarorum irruptionibus, & euersionibus regnorum, ad nostram ætatem diuinitus potius, quàm humana cura conseruata fuêre, summorum ingeniorum monumenta, non solum legenda discendaq; sunt, sed & deinceps in omni vita in manibus habenda quotidie, vt nos & de officio moneant, & consilio instruant. Nec sapientem pudeat, nec regem in sinu gestare, exempli gratia, comœdiam Terentij, vel oden Horatij: ne dum medijs loci aliquem. E plebe namq; nemo huc adspirat. Humilium enim non sunt litteræ. Vt enim aliquid audiant; plæriq; eorum nihil intelligunt. Qui aliquid cæperint intelligere, eos hoc ipso è plebe exemptos putem. Nusquam enim mihi ille Stoicæ familiæ sapiens siue rex. Quando non minus sapiens, quàm rex eget consilij, vt in re domestica, in educatione liberorum, in negotijs curiæ, in reipublicæ administratione, in animi motibus, nec minus in fortuna secunda, vel in ipso triumpho: ex huiusmodi scriptoribus aliquid in eos vsus olim didicisse operæ pretium putate. Neque enim pauxillum efficitur: immò plurimum subleuatur, qui ex illis, quæ ad eorum quodq; faciant, meminert, vel legendo recognoscat. Iam plæraq; nimis trita in illis esse dicent, aliqua non intelligi. Qui quædam difficilia esse vident, ijdem neq; vim fortè perspiciunt vulgarium.

Id

Id ipsum est, quod Homerus multa aliter à dijs nominari prodidit, quàm in vulgus nominentur. Non idem sermo regum & sapientum est, qui populi: aut si eadem verba, non vis eadem. Quo magis discentes egent vestra opera. Interpretum enim munere fungentes, de iuventute nostra præclare merebimini. Quoniam vero aliquousque progressi estis, non est, ut omnem interpretandi rationem explicem: & ΕΡΜΗΝΕΥΤΗΣ meus, quem animo designatum iampridem iuventuti debeo, alios erudiet, confirmabit alios. Duos vobis hæcenus ostendi campos, in quibus industriam vestram nouitijs cum laude vestra, rectissime probetis: postquam usum & utilitatem cum vtriusque linguæ, tum scriptorum tam Latinorum quàm Græcorum interpretationis intelligitis. Ex his operis, fateor, initio mercedis non multum reportabitis: putate, non nihil esse, vel à paucis aliquid inire gratiæ: sed plurimum tamen vobis in hoc erit præmij, quod huiusmodi labore non doctiores solum, sed multo eritis meliores, vobisq; decretorum sapientiæ, quasi aliud agendo, & boni consilij copiam parabit. Sequitur, ut porrò exponam, quæ præterea docenda rectè suscipiatis: ea videlicet, quæ cultoribus ingenuarum artium primùm discenda iudicentur. Sunt nimirum, quæ prima ætas facilius capit, quibus ingenia maximè acuuntur, quæque adultiores cum fastidio attingerent, quibus ob certitudinem principiorum assentiri quique necesse habent. Sic enim adsuescent, ad accuratam veritatis indagacionem, & eius amplexandæ constantiam: nec facile assentientur quorumq; opinionibus, nec novas ipsi volent gignere. In opinionibus autem in perpetuum oberrabunt, qui, de quibus dicam, neglectis, ad alia properant, nisi toti sint ad veritatem natura facti, aut in recta-

rum sententiarum magistros inciderint. Sunt autem illæ mathematicæ disciplinæ: quibus imbutum esse suum auditorem volebat Plato. Peculiari enim inscriptione, schola interdicebat ἀνωμετέγηται. Hoc consilium secutus & Galeni pater, filium in primis illis disciplinis erudiri iusserat. Hoc ei rectum videbatur, tum quia in geometria, arithmetica, architectonica & astronomia ipse fuerat à puero exercitatus, tum quia prævidebat, hoc modo filium non facile in absurdas aut falsas opiniones abreptum iri: qua ætate quod imbibitur, ita plerumq; mentem inficit, ut nullo deinceps modo elui possit: sed & ad disceptationum censuram idoneum fieri, & veritati integrum posse conservari. Earum enim disciplinarum magistris nulla fuerat inter ipsos controuersia: nec facile oriri poterit: nulla vero umquam de earum principijs. De eo enim genere principiorum non solum ipsis artificibus inter se, sed in vniuersum omnibus hominibus, nisi mente moti fuerint, conuenit: nec aut assuefactio, nec contrariorum decantatio, ea variare, vel in dubium vocare potest, ut fit in quibusdam alijs. Idem vero filio indicabat: se id facere de exemplo veterum, qui in illis artibus, quarum principes essent arithmetica & geometria, fuissent primùm sedulo eruditi. Ne, inquit præterea pater, ut Galenus ipse refert, temerè te ab aliqua sectarum nomines, sed satis longo tempore discas, & eas diiudices. Hanc rationem cum cæteri omnes laudant, tum sapientes etiam profitentur, iisdem esse omni contentione incumbendum. Iam nunc igitur velim, te
 eas

eas disciplinas in precio habere, discere, & in ijs magis magisque progredi, ita vero, ut simul studeas iustitiæ & temperantiæ, fortitudini & prudentiæ. Hactenus ille. Quid enim plura transcribere attinet, quamvis bona, quæ inde peri queunt? & quæ discenda primæ ætati, & quæ in vita non negligenda sapienter docet. Mores & animum ad virtutem erudire, non de ijs disputare in præsentia, iubet. Rectè iudicat, id iam nunc satis esse, alterum reseruat suo tempori. Dicam porro de singulis compendio. Non enim exponam harum artium sublimitatem, subtilitatem, certitudinem & abditam utilitatem. In cultu vitæ esse usum arithmeticæ, quoquo te vertas, & omnibus momentis, quis nescit? atque adeo ipsum numerare vnum ex ijs est, quæ ita folius hominis sunt, ut qui nesciat, non nisi specie homo videatur, multoque minus nostri generis, quàm qui à primo ortu verbū fari non potuerit. De huius enim mente aliquid suspicari possumus: illum mente vacuum omnes statuunt. Sed præstat artis numerandi laudes ascribere ex Platone, qui ita scriptum reliquit lib. VII. de repub. Quid igitur? inquit: an non iam animadvertisti, eos, qui natura certius & expeditius numerant, ad omnes, ut ita dicam, disciplinas, ac res apparere? at hebetes, si hoc in genere eruditi & exerciti fuerint, etiamsi nihil inde præterea utilitatis perceperint, tamen ita omnes proficere, ut acutiores fiant, quàm antè fuerint? Ita est, inquit. Atque insuper, ut mea est sententia, eorum, quæ
plus

plus laboris discentibus & exercentibus facerent, quemadmodum hoc, haud facile multa inuenieris. Haud facile, inquit. Quare ob hasce causas omnes, non omittenda est hæc disciplina, sed ingeniosissimi quique in ea educandi. Idem libro V. de legibus. Ad rem familiarem & ad remp. & ad omnes artes, nulla puerilis doctrina tantam vim habet, quemadmodum numerorum exercitia. Hoc verò maximum est, quod somnolentum & natura indocilem exsuscitat, ac docilem, & memorem, & solertem efficit, vt præter suam naturam hac diuina arte proficiat. Transeo ad geometriam, cuius non est minor commendatio, vsus item latissimè patet, nec à me modò inuestigatur. Si tantum à vetero excitet ingenium, causæ satis sit, cur se in ea quis exerceat. Vidi, quos stupidos diceres, tanquam è profunda voragine emeruisse præsidio geometriæ: nec absq; ipsa, vt neq; absq; illa ad geographiam cuiquam patet aditus. Et hæc autem ipsa ex ijs vna est, quas à tironibus disci, & à vobis doceri velim. Non minus enim seruit historiæ, quàm historia politicæ. Historia enim politicam miris modis illustrat, & interdum pro ipsa est, si quis eam non animi gratia legat, sed ad vitam sapienter accommodet. Intelligitis cur & astronomiæ meminerim, cuius secreta tamen & pertractationem summis artificibus reseruo. Vos item rectè tradetis initia, eaq; rectè discent adolescentes. Sed dicat quis, noua videri, quæ præcipio, nec vsquam ita fieri. At-

qui

ΠΡΟΔΙΑΣΚΑΛΟΣ.

qui repetita sunt ex veteribus cultissimisque sæculis: fieri autem & posse & debere contendo: hoc præterea, rationes à me explicatas faciliores esse cæteris, quas de consuetudine seruant pertinaciter. Pertinacia enim est, hæc omnia cum fastu præterire, & ad veritatem cuiusque disciplinæ nullo ordine etiam ab ijs, qui pusillo ingenio sint, nec de temperata vita cogitent, perueniri, falsò existimare. Hi igitur nobis negligendi videntur. Nec enim auctoritate volunt, nec ratione in veram viam deduci queunt: tantum sequuntur & exempla multitudinis, & falsam auctoritatē vel imperitorum, vel sophistarum. Sophistæ enim profectò sunt, qui cum hæc negligere alios iubeant, nihil tamen ipsi intelligunt, & sua consilia muniunt exemplis plebeculæ, & rationibus non bonis, dum facilitatem iactant, & utilitates ostentant sinistras. Habetis igitur, iuvenes eruditi, campos aliquot, in quibus & vos & nouitios, & rectè & tutò, exerceatis: etsi hæc studia ferè tam publicè quàm priuatim negliguntur. Id ego non queri volui, sed indicare diligentius, si fortè ad eorum cultum aliqui, dignitate ipsorum & utilitate & necessitate intellecta, possent allici. In his qui me audierint, neminem omnium poenitebit: hætenus certè neminem poenituit. Properatur hodiè ad logica, ad physica, ad ethica, ad disputandum: non perinde ad rhetorica, & ad dicendum. Plæriq; enim & orationem dicendi aut nullam aut vilem esse, secus quàm res est, & olim creditum fuit, & ipsum dicere cuilibet è plebe in promptu existimant: in quo scimus olim principes reip. laborasse, idq; incredibili studio. Sed hac de re in magistro dicendi diximus diligenter: dicemus, quæ videbuntur, plura in philorhetore. Disputandi autem consuetudo, paucis annis in omni genere disciplinarum in plærasque academi-

-uq1

G

mias

mias introducta est, quanta fortè multis antè sæculis non fuerit. Quæ cum in priuatis scholis æquè vigeat, vt in publicis, de ea aliquid dicendum. Ratio verò, quam prisce seruarunt, è sermonibus Platonis potissimùm & institutione Aristotelis satis nota est: hæc vtrum accommodatior sit ad disputandum, quàm altera, quæ proximis sæculis inualuit, theatrica, an alia quoq; fuerit à doctis vsurpata, eademq; hodiè vsurpetur, quod videri potest, inquirendum diiudicandumque relinquam alijs, de fine aliquid initio affirmare non dubitabo. Sophistarum est, quia cum arrogantia coniunctum, habere sibi propositam victoriam, aut ingenia ostentare, quod eòdem redit. Non reprehendo, qui in hanc arenam vel exercendi gratia, vel iussi, vt specimen profectus edant, descendunt: sed finis vnus idemq; verus est, veritatis inuestigatio, cum quo conspirat falsarum opinionum confutatio. Premere enim falsitatem & sophistas oportet, vt facilius emergat veritas. Hoc igitur studium diuinum & magna diligentia colendum iudico: nec minus verò priuatim, quàm publicè. Sed disputationes tironum non minus mihi ridiculæ sunt, quàm instructa acies gruum & Pygmæorum, de qua poëtæ fabulantur: ac malè nouitijs consulunt, qui eos in acie disputationum collocant, quasi egregia facinora designaturos, qui nec clypeum tenere, nec hastam vibrare, ac ne pedibus quidem firmiter consistere valeant: quin ij disputationum spectatores, disputantium auditores frustra ferè, opinor, sint. Quis vllò vnquam sæculo id instituit? nec mihi obijciatur, ingeniosum puerum fortè interfuisse eiusmodi sermonibus: viri docti & graues de magnis rebus inter se conferebant: atq; illi, de quibus dixi, eas non primoribus labris libauerant: & audierant doctores primarios, & didicerant artem di-

spu-

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

sputandi. Vt enim sine materia & instrumento ne tigurio-
 lum ædifices, ita sine doctrina & certo de rebus conferendi
 modo eruditum sermonem nullum instituas: atq; institu-
 tum ab alijs ne quidem satis intelligas. Non est enim, vt
 vel in sutoria puer momento magistrum æquet: nec hic fe-
 rat illum sibi obloquentem in arte tam vili: quin dicto sibi
 audientem esse iubet: interrogandi fortè ei potestatem
 faciat, si humanior sit. In paullo honestioribus diu do-
 cent, diu exercent alumnos: nec ijs iudicij partes infimas
 permittunt, vbi tamen in sensus incurrunt omnia. Sapien-
 tem fuisse Pythagoram nemo negat: nec eius auctoritatem
 in hoc genere eleuet, vel ipsa arrogantia. Hic imperabat
 silentium quinquennij auditoribus, quod ipsi omni reli-
 gione seruabant. Mirum si id fuerit perpetuum silentium,
 vt verbum interea nullum fecerint, quod quidam tradunt.
 Certum alterum, vt si de rebus necessarijs quærere licuerit,
 de alijs omnino tacere tam diu oportuerit, donec didicif-
 sent, de quibus & quomodo, vel ex doctioribus quærerent,
 vel inter se disputarent. Adolescentulis qui licentiam ad
 disputandum patefacit, minus sapit, quàm qui historiam
 somniorum conscribere iubeat. Hoc enim qui aggredia-
 tur, vt omnem operam ludat, tamen neminem in fraudem
 inducat. Quis enim non videat, nihil ibi esse præter men-
 dacia, idque talis scriptor & intelligat ipse & præ se ferat.
 Sunt enim profectò adolescentum opiniones quid aliud,
 quàm vigilantium somnia? Res enim ipsas, nec oculis, nec
 animo viderunt: mens in ea ætate imbecilla, vsus rerum
 nullus. Hoc igitur efficitur, vt ab initio de rebus non co-
 gnitis, nulla explorata ratione controuertentes, ad verita-
 tem nunquam perueniant, sed vel semper quidquid sit, de
 quo agitur, animo hæreant, & à quouis facilè huc illuc,

non iam rationibus, sed verborum flabellis impellantur, aut opiniones, vel ab alijs acceptas, vel à se excogitatas, ita mordicus teneant, vt nullis rationibus, quantumuis certis & euidentibus, ab ijs se dimoueri patiantur, sed valeant etiam volubilitate linguæ tueri. Dum enim non tacent, etiam si ad rem nihil dicant, se superiores esse, & ipsi existimant, & habent sui similes, qui assentiantur. Hoc igitur modo & litteræ veritatis iacturam faciunt, & resp. salutis. Rectum enim saluti est: recti vero directrix & magistra veritas. Nec vero nos solum in scholis, sed multi quoque in rep. hac de re queruntur. Academia debent ipsæ sapere, & intemperantiam importunitatemque perpetuarum disputationum intra legitimos limites coërcere. Non enim dubito, quin multi hæc quoque non minus intelligant: secundum est, vt eadem non magis negligenda putent, quam ego puto. Vos verò, primum ipsi modum disputandi facite, & ad disputandum non accersite, nisi quorum ea ætas sit, is profectus, tum in disciplina, in qua instituitur disputatione, tum in ipsa disputandi ratione. Hanc potius siue huius principia, quemadmodum publicè & plenè & luculentè explicantur, familiaribus vestris singulari diligentia primùm tradite. De ea autem ad disputandum accersere tirunculos, non minus ineptum & absurdum, quam ridiculum est. Quomodo enim normæ rationis censors sint, qui rationis guttulas etiamnum colligunt? Qui pueris aliud persuadent, eos ad inscitiam animant & ad arrogantiam: quæ errorum, vitiorum, & calamitatis longum agmen ducunt. A subtilissimis ingenijs, longo tempore, siue multis potius sæculis, ea veritatis regula indagata, reperta, examinata, aucta & perfectæ fuit. Ne ingrati simus, hoc postremum vnus præstitit Aristoteles: id agnoscunt, ei que se quidquid

quid huius est, debere profitentur, à duobus annorum mil-
libus, doctissimi Græcorum, Latinorum, Arabum, & qui-
cunque præterea in summo otio, Latinè balbutientes, res
ipsas ingenij perspicacitate, quantum in ipsis fuit, pene-
trarunt, vel certè in hoc arduum diuinumque studium o-
mnem operam vitamque impenderunt. Cum igitur non nisi
aliquantulum in studijs sapientiæ progressi, cum fructu
audire possint pleniora præcepta logica; de logicis ij tan-
tum disputabunt, qui in his ipsis & in illis pariter præcla-
rè profecerint, id est homines doctissimi: cæteri vel in præ-
sentia, vel suo quisque tempore, audiant. Hoc enim natura
primum, & neglectum, omnem ad disputandum aditum in-
tercludit. Ne quid hoc loco omittatur eorum, quæ decla-
randa omnino videantur, respiciamus ad mathematica
studia, de quibus initio diximus. Qui de his paullò aliter,
quàm perspicuè propriè & eleganter loqui instituat, quæ-
sitis luminibus verborum & adscita orationis magnificen-
tia; vel pueris ridiculus sit, & quidquid potius agere,
quàm quod præ se tulerit, censeatur. Idem si quæ vera in
eo genere & euidencia tradiderit, si in dubium vocet; ine-
ptior multo erit, eique persimilis, qui de luce ipso meridie,
& num à sole sit, ambigat. Quod si ausit, eum vel mente ca-
ptum, vel vltro insanire dixeris. Nec igitur talia in dispu-
tationem vocanda sunt, nec id fieri potest sine conturba-
tione rerum omnium. Contraria de causa neque dicendi
præcepta, nisi fortè pauca de omnibus, ad disputandum
proponi queant. Cum enim, quæ de actionibus hominum
dicuntur, in infinita varietate sint, nullus de ijs disputandi
modus, nullus denique finis erit: nec omnia ea disquirenti,
vnquam dabitur assentiendi facultas. Satis est, ex illis co-
gnoscere, quæ vt plurimum geruntur in vita hominum. Ex

ijs deniq; iuventutem exerceri, non in disputando, (nec enim eadem ars est, sed ei ex altera parte respondet) sed in scribendo & in dicendo, oportet. Hæc apud veteres fuit ratio educandæ iuventutis ad remp., si non perfectâ, certè & prædicanda & nobis imitanda. Nec enim ita magistris dicendi operam dabant, vt non nisi orationem expolirent: sed præmissa animi & morum cultura, conferebant se ad eloquentiam fortunatorum & principum in rep. filij: qua de re suo loco vberius & planius diximus. Ad disciplinam morum venio, in qua etsi quædam in disputationem non absq; ratione vocari posse, non negauerim, tamen id minore periculo agent, qui sine vero proprioque proposito in hoc incumbunt, vt se à vitijs vindicent, & meliores seipsis fiant indies, ac propius accedant ad temperantiam, fortitudinem, iustitiam, prudentiam. Quod qui agit, etiam disputationum percupidus, satis habet, de quibus apud animum quotidie disputet. Vt autem disputationes de ethi- cis minus probem, hoc causæ habeo. Animaduerti enim nonnullos in disputando versatos, se iam ethicos esse existimare, nec satis intelligere, aut certè sibi minus persuadere, hoc totum negotium in actionibus, non in verbis aut controuersijs disputantium, esse positum. Relinquam consilio eruditorum, de quibus ex ea disciplina aliquando apud iuventutem vtiliter disputetur. Quia vero prima ætas procul abest ab intelligentia negotiorum ciuiliu, hoc longius à talibus disquisitionibus remoueantur, ne prius de emendatione siue constitutione cogitent, quàm quid sit ciuitas, quæq; eam contineant, cognouerint. Credi verò hoc mihi postulo, non nisi elementa sunt disciplinæ ciu- lis, quæ in academijs à prima ætate queunt percipi: nec qui ea tradunt, ipsi satis omnia intelligunt, nisi vel antè
remp.



ΠΡΟΔΙΑΣΚΑΛΟΣ.

remp. gesserint, vel cum moderatoribus ciuitatis diu multumque vixerint: pauci fortè eadem ex monumentis sapientum & historijs rectè acceperint. De rebus naturalibus, quoad ipsæ ex primis principijs inuestigantur, earumque scientia exstruitur, non video, quemadmodum in sermones siue disputationes, præsertim adolescentiæ cadant: & habent eam difficultatem, vt in ijs perdiscendis, & multum operæ & satis longo tempore, ponendum ipsi physici iudicent. Quare, qui progressus bonos certosq; in ea disciplina feceritis, si eius elementa dextrè auditoribus traditis, facietis officium, & erit, cur illi vobis gratias agant, nos industriam fidemq; vestram prædicemus. Fortè autem ex his, quid de cæteris statuendum sit, facilè quis colliget, nec multum opinor aberrabit: nemini tamen ipse præiudicarem: vnum mihi licere præterea referre arbitror: & mihi videri è perpetua, vel certè è crebra de religionis capitibus disputandi consuetudine oriri in adolescentum animis arrogantiam & prophanitatem: quod olim etiam à viro vitæ sanctimonia & animi moderatione claro, adolescens accepi. Ac satis mihi nunc videor verborum fecisse ad vos, qui nostros monitus non aspernamini, & à nutu nostro, quos hæc rectius intelligere & creditis & credibile est, pendere mauultis, quàm aut nouam viam ingredi, aut consilijs niti, non tam nobis quàm veritati obstinatè aduersantium: sed & illos alloquar. Fieri enim potest, vt & ipsi, ijs, quæ dixi, assentiri cæperint, quibus contradicere cum ratione posse non videantur. Nec vero parum sollicitus sum, vt ita reliquæ orationi moderer, ne vehementia aut pertinaces nimis offendam, quod nolim, si per ipsos mihi liceat, aut à veritate non abhorrentes deterream, sed ad considerationem attentiozem adducam. Primum igitur, qui

qui priuatam scholam in academia aperiat, videndum, liceatne cuiq; docere, quæ velit. Quod si licere constet, impudenter tamen faciat, qui ausit in salutatis ijs, quorum interest. Interest autem potissimum cuiusq; ordinis, si quidem rationem rectæ institutionis nobis creditæ, habendam existimamus. At in academia Iulia lege cautum est, ne quis cum ijs, quæ publicè docentur, pugnantiâ priuatim docere liceat, nec diuersa ab Aristoteleis doceat: Melanchthonis libellos interpretari licet: qui sunt riuuli peripateticorum fontium, & ad Aristotelea viam sternunt. Sed dici audio, in scitène an impudenter? eandem esse rationem vtriusque & mirificum consensum Rami & Melanchthonis: videlicet: hic categorias tradit, demonstrationi locum suum relinquit: ille & demonstrationem & categorias, indicta causa, vt tyrannus, perpetuò exulatum ire iubet: hic illius philosophi vestigijs insistit, & cultores sapientiæ Aristotelem, vt sincerum veritatis interpretem, sequi iubet, ille non solum ab eo discedit, & siue annis, siue ingenio pueros, auocat & deterrit, sed ipsum oppugnat omnibus calumniarum machinis, seq; imperatorem aduersum cum apertè profitetur, etsi interdum negat: idem in sua castra, magnis sed inanibus promissis, quosque vocat, dum temporis breuitatem & reliquam facilitatem iactat, & ostentat fasciculum nullius sapientiæ. Non defuere, qui ambos illos in dialecticis inter se compararent: rem admodum ridiculam: citius quis inter se componat, vel in vnâ eandemque tabernam cogat, fullonem & carbonarium. Etenim Melanchthon è bonis disciplinis maculas eluere ab initio conatus fuit, & in eo studio perseuerauit: alter easdem fuligine cæpit conspergere, & sacras naturæ tabulas, quas à principe peripateticorum accepimus, petulan-

iup

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

tulanter cœno sophistico contaminavit. Illud igitur sine
caussa falsoq; dici, facilè intelligitur. Frustrà etiam quis
instabit, moribus legem abrogatam videri. Non enim an-
tiquari lex creditur, quamdiu eius ratio non amouetur. At
hic ratio manet, ne scilicet corrumpatur adolescentia. Ad
illam accedit altera, ne animorum diffidia inter docentes
fiant: quod fieri necesse est, non si in vna alteràue opinio-
ne dissentiant, quod inter amicissimos fieri ferriq; potest,
sed de vniuersa disciplina omnibusq; eius partibus discre-
pent, vt fit, quum heri aut nudiustertius nata opponuntur
& præferuntur veteri veræ & vnicae philosophiæ. Nec
porrò silentio data licentia quidlibet docendi videri po-
test. Semper enim aliqui palàm non solum improbarunt
eiusmodi molitiones, sed & tales nugas venditantium con-
fidentiam fuere magnoperè detestati. Horum igitur, in-
telligentium videlicet iudicijs stare cæteros semper oportu-
uisse, existimo, & legum violatores à magistratu coercen-
dos, tum veritatis, tum concordiaë causa, tum quòd hoc iu-
stum. Non enim quis dixerit, se negotium non intelli-
gere: de quo & pridem decreto publico determinatum sit,
& sententia ferri possit ab ijs, qui ipsum haud dubiè intel-
ligunt, & censura doctissimorum ab annis plus quàm quin-
quaginta monumentis litterarum consignata exstet, ab eo
vsq; tempore, quo se primùm commouit ille sapientissimæ
vetustatis aduersarius, in hunc vsq; diem. Nec est, quod ve-
reamur, si eiusmodi docendi licentia compescatur, oritu-
ras rixas grauiores in academia, & factiones exarsuras in
odia, deniq; ad manus ventum iri. Hæc verò multò magis
futura sunt, nisi & veritati consulamus & vtilitati iuuen-
tutis. Vtri autem contendent, an qui rectam viam ingressi
sunt, an qui in eam ducuntur ab erroribus? De illis suspi-

H

cio

cio esse non potest: hos doceri oportet à nobis, vt intelli-
 gant, sibi nostra cura perpetua & consentiente consuli.
 Quod qui intelligent; neq; nos oderint, veritatis & salu-
 tis suæ duces, & condiscipulos amabunt, quorum exemplo
 rectum spatium ad eandem metam conficere volent, & feli-
 citer deniq; conficient. Dicat alius, non ita deinceps fre-
 quentatum iri academiam. Qui enim in friuolis illis edu-
 cati fuerint, aut qui vno studio, quasiq; tribus passibus ad
 arcem sapientiæ, quæ re tamen vera opinionis est, volent
 accurrere, vtrique quouis potius, quàm ad nos sese confe-
 rent. Immò, aut comperient, iuventutem à nobis rectius
 erudiri, & nullibi esse malent, quàm vbi præclarè erudian-
 tur, aut in opinione falsa persistant, nec damnum capiet
 respub. nostra litteraria, si pertinaces alibi perire malint,
 quàm apud nos seruari. Nec enim erunt, qui vel exemplo,
 vel prauis rationibus alios auertant in auia. Vtraq; manu
 tenendum est, non ex innumera hominum multitudine
 conflari, neq; victores exercitus, neq; cæcus musicos. Iustæ
 copiæ delectorum vindicabunt rectius patriam ab imma-
 nitate hostium: & pauci præclarè eruditi pace saluti erunt
 patriæ. Illos primum rectè doceri & legitimè exerceri
 conuenit, non quemadmodum Spartacus manipulos man-
 cipiorum, mancipium ipse, aduersus remp. exercuit. Ne-
 gotium igitur non intelligunt, aut non satis apud animum
 considerant, qui de hac controuersia non magnoperè labo-
 randum putant, quasi in ea non sit, nisi ludus aliquis inge-
 nij. Iacturam enim veritatis in omni genere disciplinæ
 magni esse momenti, putandum est: maximi, regulæ veri-
 tatis: quæ si falsa est, nullam a edificiij partem, nullum parie-
 tem, operæ rectè excitabunt. Etenim & hanc rem pinxit
 & ob oculos posuit poëta Latinus:

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

*— in fabrica si falsa est regula prima,
 Normaꝝ si fallax rectis regionibus exit:
 Et libella aliqua si ex parte claudicat hilum:
 Omnia mendosè fieri, atq; obstipa necessum est,
 Præua, cubantia, prona, supina, atq; absona tecta,
 Iam ruere vt quædam videantur velle, ruantq;
 Proditæ iudicijs fallacibus omnia primis.*

Culter est, non norma, quo vtuntur in omni genere disciplinae, resecando & conscindendo: neq; tamen non se omnia egregiè bipartiri autumât. Hinc triobolares theologiae, obolares astronomiae, & nihil non ipsa breuitate breuius, & atomis Democriti minutius: nihil intactum relinquunt, quin resecent, consecent, dissecent, alia dissipent, alia consuunt. An puellularum similes esse dicemus, quæ ingenio puellari, alacri conatu, ex varij panni particulis, etiam purpuræ, pupulas consuunt, easq; ordine, quasi choros virginum collocant? E quo studio voluptatem ipsæ capiant, nemini tamen noceant. Quod si virgines ætate iam florentes sese ad eas aggregent, colu & acu relictiis, neglecta re familiari, ridiculæ erunt cum cæteris. Hic autem ingenij error, non tam facilè deprehenditur, sed à doctis hominibus æquè deridetur: nec de eo nobis laborandum censerem, nisi laboraret ab omni parte veritas. Demus operam, vt à suspitione inscitiae siue negligentiae vindicemus academias. Quid de nobis alij iudicent, conijcere est è sermone doctissimi Angli, quem sub autumnum hac transiens mecum domi meæ instituit, cum & alij collegæ interessent. Aiebat mirari se, id doctrinarum sceleton ferri à magistratibus academicis.

& re ipsa minor. Nam si hic ossa musculis nervisque denu-
data forent, vestigia corporis ibi essent, siue indicia, cuius
illa fuissent: quod ne quidem in illis reperias. Parum ibi
aberat, quin erubesceremus: respondimus tamen quæ vi-
debantur, vt facilè animaduerneret, non esse nos earum
partium, sed assertores philosophiæ veteris. Sed ad vos re-
deo, quibus reliquum orationis destinaram. Quod si quas
esse dixi, aut nullæ sint, aut antiquatæ videantur; pudoris
hoc leges requirunt, vt quam nauem quis conscenderit,
cuius nec nauclerus, nec gubernator sit, nec remex, ac ne
quidem sentinarius, idq; vehendi gratia, quietus suo loco
confideat. Quid de ijs sentias, qui summa tràquillitate, per
transtra forosque cursitent, malos scandant, remigibus re-
mos eripiant, clauum gubernatori extorqueant, aut hac de
re confusurent? spreto domino, nauem ipsam suo nomine
vsurpent, vsurpariq; iubeant? Sed mitto comparationem
hanc, ne dicam, quod nolo, aut minus proficiam, quàm ve-
lim. Nihil nunc in vos dicam durius: quod profectò fa-
ciam, si suspicax sim. Nec enim mores hominum, nec mali-
tiam nescio. Tantum vobis sales familiarium referam, qui-
bus interdum aspergimur. Aiunt enim nos de dignitate &
fortunis periclitari: siue id inuidia & ambitione, siue ve-
ris de causis fiat. Si enim vestra opera, non iam adolescen-
tuli temerè credant, sed & cæteri inscitiam nostram intel-
ligant, locum nostrum fore nemini: idq; demonstrare vi-
derentur, nisi pridem per vestram disciplinam omnis ani-
mam ageret demonstratio. Vt autem nobis vel discedenti-
bus vel decedentibus, nostri dissimiles subrogentur, per-
cuniculos agi, & iidem asseuerant, nec non ipsi suspicandi
causam videmus. Ego verò pro eiusmodi molitionibus,
beneficium grande vobis meditor. Quando enim vobis
ani-

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

animus est, nostrum nemine, ut opinor, probante, nobis aduersari, quos audire vestrum erat; æquissimas vobis optatissimasque condiciones & ostendam, si accipitis, quas recusare neminem oportere existimo, & feram, quibus in vtramuis partem non dubia victoria potiamini. Siue enim nos conuincetis inscitiae, vel pudendi erroris, siue veritatis compotes fietis; utroque modo palmam reportabitis. In hoc enim genere non solum is vincit, qui cum stet à bonis partibus, à contradicentibus veritatem bonis rationibus vindicat: sed & ille, qui ab errore deficit, aut abduci se patitur, & in castra veritatis, vel vtrò transit, vel sibi gratulabundus deducitur. Ea sumus humanitate, ut à priuatis sermonibus neminem arceamus: ea comitate, ut amplectendos, non obiurgandos putemus, si qui modestè de sententia nostra sciscitentur: est explicandi facultas & mihi & alijs, est animus nobis abhorrens ab omni inuidia. Nec enim id minus de collegis, quam de me assero, modo vestrum quis nostrum aliquem quærendi discendi que causa adeat: etsi vobis vera cognoscendi & altera via est, ut ingenium acuatis, & quanto opus est, tantum & temporis & laboris lectioni meditationi que tribuatis. Non proscindendæ sunt & exigendæ prius à vobis disciplinæ veterum, quam eas cognoueritis. Cognitas, credite mihi, non repudiabitis. Vel vnum mihi cedite, qui in peripateticis probè eruditus, ad nouationes eas pertrahi potuerit: nemo omnium vsque adeo delirauerit. At in his educati non pauci, qui dociles sint, & scire vera desiderent, quotidie in viam redeunt: quos non odisse, sed imitari, ni fallor, rectissimum fuerit. Verum si ita obfirmati estis, & vestra opinione in istis confirmati; est & nobis aliquid ingenij, veritatis perpetuum studium, laboris tolerantia, præter ætatem. Si quis



mihi demonstrabit, veteres ab omni veritate aberrasse, & illum methodicæ disciplinæ architectum, vt Tiresiam, solum, nec nisi qui cum ipso sentiant, sapere; mancipio me vobis dedam, & primam putabo esse libertatem in veritatis adeptione. Namq; & ipse censeo, vt Plato scripsit, & summus eius cultor Tullius, interpretatus est, beatum, cui etiam in senectute contigerit, vt sapientiam verasq; opiniones assequi possit. Sed interea, dum neq; à nobis doceri vultis, neque nostrum aliquem docere potestis, idq; vestro vel vitio vel voluntate: deterreo iuuentutem ab ista disciplina: in qua & veteres sapientes, & huius ætatis doctissimi, & omnes vniuersi orbis academiæ nihil prorsus intelligere, nihil de vlla re rectè statuere iudicantur: ludi aliqui pueriles, sunt prytanea sapientiæ: pueri petulanter Aristotelem, cumq; eo omnem vetustatem infantiæ condemnant. Hoc agere, hoc probare, ad hoc conuenire, quid quaeso est, quàm barbariem resuscitare, & vitæ hominum præficere? Ego & in sermonibus ac in scholis publicis sæpè ostendi, quid sentirem: in scriptis alibi attingi, alibi docui plenius, quæ ad rem facerent: nouatores nominavi, tum, ne minus velle viderer certis hominibus, tum quòd non vnius generis eos intelligerem, qui in primæ ætatis institutione laborarent. Quando vero hodiè plurimum nobis faceffit negotij confidens illa Ramodidascalia; non nihil meæ, sed multo magis academiæ dignitatis & utilitatis publicæ causa hic disertius perscripsi sententiam meam, nihil discrepantem ab ea, quam hæcenus doctissimi quique homines, primùm Lutetiæ, vbi nascenti malo statim itum fuit obuiam, tum vbiq; terrarum viuerent, neuiquam dissimularunt. Illi au-

tem

ΠΡΟΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ.

tem ad vnum omnes, & veterum disciplinam retinent, & interpretando, corrigendo, augendo denique, illustant absq; vllius contumelia, cum summa omnium illorum gratq; prædicatione, & detestantur ineptos & ambitiosos conatus nouatorum in omni genere, & auctores sunt iuuentuti, vt viam ab eximijs viris apertam ingrediantur, nec se in aua, magnificis, sed ijsdem inanibus promissis quorumlibet deduci patiantur. Hoc enim ab initio fuit omnium sophistarum proprium, vt supra modum iactarent sua, & aureos montes alijs pollicerentur, quibus fortasse vnus quadrans in arca non foret. Etsi autem, (fatebor enim) sæpè stomachum mihi mouit arrogans & contumax inscitia: tamen committendum non putavi, vt in quemquam aliquid acerbius dicerem: immò singulari studio hoc egi, non solùm vt mea de litteris & salute discentium cura, sed etiam beneuolentia studiumq; in omnes facilè appareret. Neminem igitur futurum spero, qui ob dictam grauitè & verè sententiam, mihi succenseat, nisi idem & à veritate & ab humanitatis cultu abhorreat: quibus cùm omnes homines semper sedulò, tùm præ alijs litterarum cultores omni contentione deditos esse oportet. Quod si qui optatissimas illas certissimasq; vitæ nostræ duces, è cælo generi mortalium dono datas, sine quibus tenebræ omnibus forent, & calamitas, quòd amissa veritate virtus tollitur, sublata virtute nec salutis spes est: qui illas, inquam, habeant neglectui; ab ijs nos contemni, feramus æquo animo: sed illi contra se & miseros esse experiantur, & à bonis in pretio non haberi, sciant.

F I N I S.

Emenda in littera C. pag. 3. fac. 2. ἀμάρτημα μνημονικόν, & lege.
Hinc est exprobratio Tyndareo ad Menelaum. Σεβαστάγῳ σου χροῖν
ὡς ἐν Σεβαστοῖς.


Faint, mirrored bleed-through text from the reverse side of the page, appearing as ghostly, illegible script.


155592

X2204159

VD 17







8.



IOANNIS CASELII

NEOS KAI PROΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ,

ILLE AD TIrones ACADeMI-
cos, hic ad eos, qui in academijs pri-
uatas scholas habent.



HELMAESTADII
Excudebat Iacobus Lucius, Anno

M. D. III C.

